36389/B

B.XXIV.Fra

Handb. II 420



49339

M. FRID. OTTONIS MENCKENII,
LIPSIENSIS,

De vita, moribus, ſcriptis, meritisque
in omne literarum genus prorſus ſingularibus

HIERONYMI FRACASTORII,
VERONENSIS,

Italorum Sec. XVI nobiliſſimi, Medici præſtantiſſimi, eximii Philoſophi, ſubtilis Aſtronomi, & Poetæ plane incomparabilis,

BIBL. EINSIEDEL. REIBERSD.

COMMENTATIO.



LIPSIÆ,
EX OFFICINA BREITKOPFIANA,
M DCC XXXI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆNOBILISSIMO ET MEDICINÆ PERITISSIMO

JO. ERNESTO HEBENSTREIT

PHIL. ET MED. DOCTORI,

SALUTEM!

QUi diem præterire vix ullum pateris, quo non copiam Tui facias Menckenio, amico Tuo, & præſentem ſermonibus delectes jucundiſſimis ac vere melleis, jam, quæſo, roganti mihi indulge hoc otium, ut, more non inuſitato amantibus, de meo erga Te animo certiorem facere Te liceat per literas. Non ignoras, poſſe tam eos, qui in perpetuam communionem res ſuas fortunasque contulere omnes, & penates colunt eosdem, quam qui locorum aliquo disjuncti ſunt intervallo, et ſuavioris colloquii care-

re interdum jubentur oblectamentis, amicitiæ tenerrimo quodam arctiſſimoque colligari vinculo. Quorum cum illi congreſſu frequenti deliciisque verborum & iteratis ſæpius complexibus id poſſint efficere, ut æterno inter ſe fœdere conſociati & quaſi coaluiſſe videantur ipſorum animi; hi, quos ex familiaritatis conjunctionisque ſuæ neceſſitudine caperent, fructus haberent prorſus nullos, niſi unum iis relictum eſſet literarum ſolatium, quæ ſicut ipſæ ſuos alere igniculos, & ingenium exprimere ſcribentis ſolent, ita ad confirmandum & inflammandum magis magisque amorem mutuum multum profecto roboris & momenti habent. Ego vero qui haud ita pridem numerari cœpi in amicis Tuis, etſi, quod multum gaudeo, non adeo deſtitutus ſum conſuetudine Tui, ut non ſatis horarum & otii Tui, quod melius forte in earum rerum, quæ ſpectant ad artem Tuam, cognitione et elegantioribus Hygiææ ſtudiis collocare poſſes, mihi tribuas conſecresque uni; tam alte tamen infixus animo meo hæret amor Tui, tamque difficile me patior a Te divelli, ut ne minimam quidem ejus temporis, quo occupatum Te habent Muſæ Tuæ, particulam absque vehementi Tui deſiderio & dulciſſima amicitiæ noſtræ recordatione dimittere conſueverim. Multa enim, quibus perfundere me poteſt conſpectus Tui, gaudia tunc animo volvens, & virtutum illarum, quæ prorſus in Te ſunt præclaræ

ræ & egregiæ, pulcherrimum nitorem admiratus & præſtantiam, quin & memoria inde repetens incomparabilem in amando me & obſervando fidem, ardorem, & conſtantiam Tuam; abſentis exoſculari mecum ardentiſſimeque complecti imaginem, & in felicitatis meæ parte haud poſtrema collocare ſoleo, quod ejus mihi amici uſuram fata & commercium permiſerint, in quo omnia doctrinæ, morum, & virtutum ornamenta cumulatiſſime ſint repoſita. Quæ dum cogitavi mecum, nec quenquam Te ipſo magis colendum mihi & gerendum in oculis putavi, factum eſt ſæpius, ut amoris abundantiſſimi ſecutus impetum, totusque expectatione Tui effervеſcens, quaſi mihi cum præſente res eſſet, meam Tibi in firmiſſimum fidei pignus offerrem dextram, in idem pignus rurſus Tuam expoſcerem, &, ut mutuis ſuccederes complexibus, ſubinvitarem Te ore blando verbisque teneris; mox, ubi errorem animadverterem, & deluſum me ſentirem nimii affectus vehementia, ne inanis omnis, qua deliniveram animum, voluptas eſſet, ſumto ſtatim calamo, omnem tenerrimi affectus vim comprehendere literis conarer. Intellexi tunc, eſſe & ſuum amori ingenium, nec expeditius ullum, quam qui ſcribendis ad amicos literis inſumatur, laborem ſuccedere. Atque dulciſſimo hoc negotio, remotis plerumque arbitris ſuſcepto, quanquam tum, cum eſſem in eo occu-

patus, nihil putabam contingere mihi poſſe gratius jucundiusque, & auſpicatos ita optabam dies mihi obvenire omnes; majorem tamen iis, quæ ipſis percipiuntur ſenſibus, quam quæ animo ſaltem repræſentantur noſtro, ad delectandos nos permulcendosque vim ineſſe, toties cognovi, quoties ſcribenti mihi & plenum iſtis cogitationibus pectus gerenti inopinatus adveniſti hoſpes, & in meum Te quaſi ſinum contuliſti. Exemplis enim expertus ſum innumeris, nihil tam inſigne tamque eximium cogitari de abſente poſſe, quod non excellentius longe & ornatius in præſente liceat conſpicere. Quod vero, miro quodam fortunæ ita me amantis beneficio, nunquam ad exarandas literas animum appuli, ubi non interpellatum ſubito me viderim lætiſſimo & optato magis quam expectato adventu Tuo; id unum, HEBENSTREITI conjunctiſſime, in cauſa fuit, cur in hunc usque diem nihil Tibi redditum ſit literarum mearum, in quibus vel documenta dederim meæ erga Te obſervantiæ, vel in Tuam, ſi id quidem fuiſſet opus, enixius me inſinuaverim benevolentiam. Videtur ergo omne, quod literis comprehendi poteſt, affectus mei robur in hoc reſervatum tempus, quo non tam arbitrii mei, quam officii potius eſſet & pietatis, gaudia mea jungere Tuis, & quam certum putem futuræ dignitati Tuæ ex novis iſtis famæ & honoris Tui incrementis capi omen poſſe,

pu-

publicis quaſi tabulis & monumentis inſcribere. Non enim magis ad Te ipſum pertinet temporis præſentis gloria, quam ad amicos & familiares Tuos, eos nempe, qui tenerrime Te amant, &, quicquid Tuo accedere honori vident, id ſibi ipſis, tanquam multum in Te juris habentibus, ſplendori cedere ac decori exiſtimant. Cumque id ſemper ego unice habuerim in votis, ut principem mihi in his locum concederes, &, ab alio quoquam vix magis coli Te poſſe & obſervari, confidenter crederes; non permittam ſane, ut majorem quispiam gaudii, quo perfundi jam & cumulari nos vides, quotquot bene Tibi cupimus, ſibi partem vindicet. Neque ſatis mihi fuit, ante oculos Tuos coram exultare, &, quod ii etiam ſolent, qui frigidius amant, congeſtis in Te laudum & præconiorum cumulis plura olim & excellentiora induſtriæ Tuæ præmia & digniora augurari decora; ſed majus quid me debere amicitiæ Tuæ, & in eo cumprimis elaborandum mihi putavi, ut, quanti Te fecerim dudum, quanti nunc etiam faciam, & qua religione pro felicitate Tua Superos implorem, iis conſtare poſſet omnibus, qui ſuum virtuti & doctrinæ Tuæ pretium ſtatuunt, & communi, quicquid ab ingenio Tuo proficiſcitur, plauſu & ſuffragio excipiunt. Ut enim, quod meditatus ſum diu, publicum aliquod mei erga Te ſtudii & amoris exſtare juberem monumentum, vix illuſtrior ulla aut op-

por-

portuna magis ſuppeditari mihi potuiſſet occaſio. Quo tempore votivas Tibi acclamationes & exquiſita honorum genera decernere vel ii ipſi ſolent, quos levi aut neceſſitudinis, aut amicitiæ vinculo attingis, id, nefas prorſus exiſtimo, absque omni votorum & gratulationum ſolennitate prætermitti ab illis, quos ex fortuna & proſperitate Tua non aliam, atque ex ſua, capere voluptatem decet & oblectamentum. Forte jam in eo ſatis a me commiſſum eſt culpæ, quod tardius & lento velut pede Tibi veniam gratulator, &, quæ primus debebam, ea ultimus fere (fatendum eſt enim) exſolvam. Illud tamen in quamcunque demum partem interpretentur alii, æquiorem Te mihi fore ſpero judicem, poſteaquam ejus rei ex me cauſam cognoveris. Poteram profecto, modo animus fuiſſet, id facillimo negotio efficere, ne meditantem me ea de re ſerio alius quispiam, utut natura velociſſimus, præcurreret. Ut vero, qui non adeo omnis ambitionis expers ſum, ſegregarem me paululum a vulgo amicorum Tuorum, nec cum univerſa gratulantium turba impetum in Te facerem, ſed reſpirare Te aliquantulum ſinerem, &, quod meis unice literis legendis impenderes, tempus haberes; malui, tardius mittendo ad Te literas negligentior videri in præſtandis officiis, quam oſcitantius Tibi legi, ſi creato recens & a partu adhuc calenti Doctori anhelante ſpiritu me tuliſſem obvium. Ita enim plerum-

rumque fieri cernimus, ut, quæ mole & numero ingenti offeruntur nobis, eorum magis, quam quæ ſparſim & ſeparatim, ſordeat lectio. Comprobatum id tam meo, quam aliorum dudum exemplo habeo. Neque hujus conſilii me pœnitebit forte; ſi quidem non plane faſtidire mea ſoles. Accedit huc illud quoque, ad prædicandas virtutes Tuas nullum non tempus eſſe opportunum, &, ſicut Tu in dies magis de literis & arte Tua mereri pergis, ita majorem quotidie laudandi Tui nobis ſuppeditari materiam. Nolim vero, exiſtimes, eo me ad ſcribendum acceſſiſſe animo, quo turpe illud genus adulatorum ſolet, qui turpiſſimis blanditiis & tinnientibus verborum phaleris turgentes, miſellis ſuis præconiis importunius in eorum, quos venerantur maxime, res utcunque geſtas involant. Magis Te amo, quam ut ita in modeſtiam Tuam, quæ ſingularis in Te eſt & prorſus eximia, ſim injurius, & alienos adſcitosque virtuti Tuæ colores illinam. Per ſe honeſta eſt & formoſa facies Tua, nec, cur venuſtatem fuco mentiatur, cauſam habet. Ego vero, quem nunquam non expertus es amatorem Tui ingenuum, & ab omni aſſentandi ſtudio noſti remotiſſimum, nunc demum degenerare a me ipſo, & indigno viris bonis ſermoni aſſueſcere, tam turpe puto, quam quod turpiſſimum. Cumque ad Tuum me penitus componere exemplum, Teque totum imitari in animum induxerim; vel hoc ipſo ſa-

tis oſtenderem, quam parum ex Tua huc usque conſuetudine profecerim, quantumque Tui adhuc ſim diſſimilis. Vix enim ore Tuo exiiſſe verbum memini, quod non deceret Te, virum antiquæ fidei, & exquiſita morum elegantia commendatiſſimum. Neque, ſi vel maxime ad immodicas laudum Tuarum declamationes inclinaret animus, profecto illis perorandis ſcite & concinne explicandis meum ſufficeret ingeniolum, quippe longa exercitatione ita honeſtæ aſſuefactum ſimplicitati, ut ad excogitandas blanditias jam rude ſit prorſus ac ineptum. Quod, tantum abeſt, ut cedere mihi poſſe turpitudini putem & opprobrio, ut vel ſolo hoc nomine amore & benevolentia Tua videri poſſim digniſſimus. Tanto enim quisque ad colendam amicitiam judicari debet aptior, quanto eſt omnis aſſentationis & facundiæ fucatæ imperitior. Utque incolumem ſemper integramque mihi hanc Dii mentem ſervent, ſupplicare iis nunquam deſinam. Itaque tam ſponte, quam pro ea, quæ multum facit ad tuendam amicitiam, lege ſanctiſſima, jam, quantum potero, cavebo ſolicite, ne hujus, quod bonis omnibus abominabile eſt, vitii turpiſſimi ullam apud Te ſuſpicionem incurram. Id quod præſtiturum me ſpero facillime, cum ita jam perſpectum ſit omnibus cognitumque, quanti ſis æſtimandus, ut meo penitus carere poſſis teſtimonio, & laudator ipſe Tibi ſis optimus. Video tamen,

&

& hoc mihi cavendum eſſe diligenter, ne, dum Tuæ, Vir egregie, parco modeſtiæ, laudibus Tuis & amicitiæ, qua conjungimur invicem, dediſſe omnino nihil videar. Unde, quid capiam conſilii, quemve in utraque re modum teneam, probe intelligo, quam ſit difficile decernere. Fieri enim haudquaquam poteſt, ut novos, qui collati in Te ſunt digniſſime, Tibi honores gratuler, nec ſimul, quibus illos meritis impetraveris, quid præſtiteris huc usque ingenio, quid expectari a doctrina Tua in poſterum poſſit, ſcriptis verbisque exponam. Qua de re poſtquam diu ſatis mecum inii rationem, animum tandem ſubiit cogitatio, vix melius iſtis exſolvi me curis poſſe, quam ſi novum ſcribendi genus quoddam adhiberem, tale ſcilicet, quod ſpeciem laudis haberet nullam, & ab adulatione omni eſſet alieniſſimum, revera tamen omnem illarum laudum, quibus effulges mirifice, complecteretur ambitum, & virtutes Tuas ſingulas admirandas proponeret legentibus. Quod conſilium cum ad rem præſentem putarem egregie accommodatum, ejusque exoptatiſſimum ſperarem ſucceſſum; ut feliciter illud & prudenter exequerer, coepi ſepulchra virorum, quos ſuperior tulit ætas, præſtantiſſimorum & doctrina omni reique cumprimis Medicæ cognitione celebratiſſimorum perquirere, & ex iis, adhibito quodam oculorum mentisque judicio, virum talem ſortiri, cujus Tu vel penitus exprimeres imaginem, & virtutes univerſas

hæreditate quaſi eſſes conſecutus, vel adhuc pertinaciter viderere inſiſtere veſtigiis. Hujusmodi enim viri præclara de literis merita enarrando hic fuſius, & inſignem commemorando rerum optimarum peritiam, haud multum diſſimilem Tuæ, id facile impetraturum me confidebam, ut alii quique, incidentes forte in opellæ hujus lectionem, & cum præſtantiſſima viri illius doctrina miram comparantes ingenii Tui elegantiam, ſponte in eam venirent opinionem, nihil tam egregium unquam, tamque ſingulare a viro quantumvis excellenti eſſe præſtitum, quod non a Tua olim, Amice florentiſſime, induſtria & arte certiſſime liceat expectare. Ut vero ſacra viri, tantis conſpicui virtutibus, ex tumulo ſuo oſſa evocarem, quodam, fateor, labore opus fuiſſe, propterea quod illum non ſolum omnium earum rerum, quæ ad Philoſophiam & Medicinam pertinent, cognitione probe imbutum, ſed, quarum exiguam Medici habere curam ſolent, elegantiorum etiam literarum & Poeticæ inprimis ſtudiis oporteret eſſe ornatiſſimum. Neque tamen fruſtra plane fuit, quicquid mihi eam in rem operæ fuit inſumtum; ſed patriis finibus egreſſus, Italorum omnium, quorum famam poſteritati commendatam noveram, turbatis manibus, ad cinerem ſtatuamque conſtiti Viri ſummi & Medicorum ſua ætate principis, HIERONYMI FRACASTORII, Veronenſis, varia ac multiplici doctrina eam nominis

minis

minis exiſtimationem conſecuti, ut, quicunque in Schola Veronenſi ulla ætate literas profeſſi ſunt, illis omnibus communi literati orbis judicio longe diceretur ſuperior. Nam, quæ prima ejus ac præcipua laus eſt, ad veterum, quos Græcia forte aut Latium aluit, Medicorum laudem adſpiravit feliciſſime, & ad illorum, ſi credendum eſt ſcriptoribus in arte iſta verſatiſſimis, proxime acceſſit gloriam. Quod etſi ſatis eſſe poterat ad immortalitatem nominis; alias tamen inſuper easque illuſtriſſimas ad hanc ſcientiam vir egregius adjecit diſciplinas, ita ut eodem tempore, quo medicinam exerceret ad invidiam usque empiricorum, Philoſophus etiam acutiſſimus, Aſtrologus ſubtiliſſimus, & Poeta haberetur plane incomparabilis. Acceſſit huc ſingularis quædam in dicendo vis & nativus vigor, cum mira ſermonis ſuavitate conjunctus, & a priſca, cujus plurima tunc temporis in Italia ſupererant veſtigia, barbarie longe remotiſſimus. Unde facile judicari poteſt, quanto cum ejus merito factum ſit, ut non ſolum viventi omnis liberalioris doctrinæ deferretur principatus, ſed mortui etiam memoriam quovis honorum genere cives ejus proſequerentur, &, exemplo rariſſimo, inſignem ei, qualem Plinio olim & Catullo, ſtatuam decernerent. Cujus ego cum accuratius pervolutarem ſcripta, in lucem jam pridem edita, & imaginem contemplarer, omnium earum, quæ inquirenti mihi fa-

ctæ ſunt obviam, nitidiſſimam; indignatum me fateor ſcriptorum in conſignandis viri maximi rebus factisque ſingulis negligentiæ, &, ſi quenquam alium, hunc maxime commendandum æternitati, hujusque de artibus ingenuis præclara merita nobiliſſimosque labores ad omnem transmittendos duxi poſteritatem. Etenim cum aliis multis tenuioris & famæ & dignitatis viris, quorum carere forte poteramus notitia, tantus poſt mortem ipſorum habitus ſit honos, ut fata eorum ac vitæ momenta ſingula, & quicquid unquam ab iis quoquomodo geſtum eſt, ſolicite proditum memoriæ, & ſingularibus expoſitum ſit libellis; quis non majori multo jure vindicandos ab oblivione eos exiſtimet, quos conſtat per omnem vitam incredibili cura animique impetu in rei communis incubuiſſe commoda, &, quantumcunque potuere, ſtudiis ſuis & laboribus ad literarum attuliſſe incrementa? Qua laude cum deſtituendus haudquaquam videatur ordinis Tui anteſignanus, FRACASTORIUS, nec quisquam tam rudis ſit ingeniorum præſtantiſſimorum æſtimator, tamque moroſus eorum, quæ virtuti tribuuntur, præconiorum auſcultator, ut inutilem & inſumtam fruſtra putet, quæ in conſervanda Itali celeberrimi memoria collocatur, operam; in eam ingredior ſpem, fore, ut bonis omnibus comprobetur induſtria mea, ſi, quæ aliis omnibus huc usque, non ſine quadam turpitudine, fuere intentata, (pauca

enim

enim, eademque parum copioſe, vitæ ejus momenta perſequitur, quæ Operum FRACASTORII editioni Venetæ, anno 1584 datæ foras, præmiſſa habetur, vita ejus, ab Autore ſcripta Anonymo,) ea ego primus tandem hiſce perficiam plagulis, quemque poſitum Tibi dudum in doctrinæ virtutisque exemplum, & admirationi fuiſſe puto ſingulari, hunc oculis Tuis contemplandum accuratius, & pro dignitate ſua magis amandum in poſterum ſuſpiciendumque proponam. Ego certe tanto majori cum voluptate huic accingor negotio, quanto certius prævideo, non poſſe id fieri absque recordatione Tui frequentiſſima. Neque Tibi, Amice integerrime, fore, credo, adeo injucundum, ejus fata & merita noſſe hominis, qui, ſicut nihil unquam geſſit laudabile, aut literarum monumentis commendavit egregium, cui perficiendo non Tui ſufficiant vires ingenii, ita aliquam laudum etiam & præconiorum, quæ debentur ipſi, lubentiſſime Tecum portionem communicabit. Cumque Tuum judicium ad concilianda mihi reliquorum ſuffragia ſit efficaciſſimum; habebo, cur Tibi potiſſimum perſolvam gratias, ſi quos alios ex ordine Tuo præter Te ipſum de levi hoc, quem inſumſi, labore æquiorem tuliſſe ſententiam animadvertero. Age jam, averte paululum a Galeno Tuo oculos, & mihi, veneranti cinerem digniſſimi aris titulisque FRACASTORII, benignus favensque adeſto ſpectator.

CON-

CONSPECTVS COMMENTATIONIS.

§. I. *Patria Fracaſtorii, natales, genus, parentes, infantia variis caſibus fatalis.*

§. II. *Ejus ingenium, adoleſcentia, ſtudia in Gymnaſio Patavino tractata, Præceptor, æquales et ſtudiorum ſocii.*

§. III. *In Liviani Ducis adſcitus ſocietatem, Academiam Foro-Julienſem acceſſit, poſt in caſtra Ducem hunc ſecutus, tandem domum reverſus eſt.*

§. IV. *Hic Medicinam fecit ſumma cum laude, & ſucceſſu feliciſſimo, & Concilii Tridentini Medicus conſtitutus, immortaliter de arte ſua meritus eſt.*

§. V. *Cum Medicina Philoſophiæ, Aſtronomiæ, Coſmographiæ, literarum elegantiorum, & Poetices inprimis ſtudia conjunxit.*

§. VI. *Amici Fracaſtorii, Mæcenates, & honores varii.*

§. VII. *Vultus ejus corporisque forma, & virtutes animi multiplices.*

§. VIII. *Vitæ ejus finis, exequiæ, carmina amicorum funebria, & ſtatuæ ei tam Patavii, quam Veronæ, poſitæ.*

§. IX. *Scripta ejus Medica, Philoſophica, Aſtronomica, & Poetica.*

§. X. *Editiones ſcriptorum ejus continua ſerie adjectæ.*

§. I.

HIERONYMUS FRACASTORIUS, aliis Fraſtorius (a) dictus, patriam habuit Veronam, civitatem Italiæ antiquiſſimam, (b) & inſigni potentiæ, fortunarum, ſplendoris externi, opum, civiumque clariſſimorum laude florentiſſimam, (c) quin & ingenti doctorum virorum, æterna nominis gloria illuſtrium, multitudine omni tempore abundantiſſimam. (d) Anni, qui fuit Italo noſtro natalis, miror, nullum a ſcriptoribus alioqui diligentiſſimis factum eſſe indicium. (e) Conjectura tamen certiſſima aſſequor, fuiſſe ſeculi decimi quinti octuageſimum tertium. (f) Diem non definio, etſi fruſtra acturos puto, qui poſt menſem Julium demum dicerent determinandum. (g) Genus duxit ex antiqua & illuſtri ſtirpe FRACASTORIA, (h) præclaris de patria meritis a longo tempore nobiliſſima. Pater ei Paulus Philippus, mater Camilla Maſcarellia, Vicentina, fuit, (i) ambo vitæ & morum integritate inter ſuos longe ſpectatiſſimi. (k) Is, ubi primum aſpexit lucem, triſtem ac pæne horridum parentibus ſuis aſpectum dedit,

ore, ut videbatur, lingua, & voce deſtitutus. Labra enim ex utero attulit utrinque concreta, atque ita coarctata ſummis extremitatibus, ut vix anguſtiſſimum, quo reſpiraret infantulus, & alimenta caperet, in medio ore ſpatium ſupereſſet. (l) Ea res ignaris naturæ obſtetricibus viſa eſt ſingularis & prodigii pleniſſima. Apparuit paulo poſt, nihil infauſti ominis ſubeſſe, &, quam natura attulerat, reparari arte humana jacturam poſſe. Etenim, implorato Chirurgi periti ſſimi, cultro tonſorio inſtructi, auxilio, factum eſt, ut mortua velut labiorum compages vitam reciperet, & forma ori naturalis, plenusque puero ſermonis uſus redderetur. (m) Traxit tamen hinc Noſter quædam per omnem vitam incommoda, & inveteratos ex oris inciſura dolores in cauſa fuiſſe puto, cur labra ſæpius vellicaret dentibus, eademque levi ſed continuo morſu quaſi delinire videretur. (n) Alius, idemque fatalis inprimis terribilisque caſus Fracaſtorii nobilitavit infantiam. Hærens aliquando, ut ſolent puerulí, in ulnis matris ſuæ, & blandimentis multis oſculisque maternis exceptus, cum ſubito fragore cælum intonuiſſet, tactam repentino fulmine matrem humi procumbere, integer ipſe incolumisque ſenſit. (o) Inventi ſtatim eorum ſunt multi, qui lætiſſimum ea ex re omen caperent, & magnum quid puero portendi clamitarent. (p)

(a) Video,

(a) Video, Poetas nonnullos, per licentiam forte, aut, ſi mavis, per figuram Syncopen, Italo noſtro nomen dediſſe FRASTORII, cum reliqui omnes ſive ligati ſive ſoluti ſermonis ſcriptores conſtanter eum dicerent FRACASTORIUM. Ita enim canit in carmine venuſto, laudibus FRACASTORII dicato, cujus habetur copia in *Carminibus Illuſt. Poet. Ital. T. VI. p.* 244, ANTONIUS MARIUS, Ligur:

Fraſtori venerande, anima mihi carior ipſa &c.

Et iterum ſub finem carminis:

Huc ades, o Fraſtori &c.

Socium huic jungo BASILIUM ZANCHIUM, Epigrammatographum, cujus in Epigrammate quodam, obvio in NIC. REUSNERI *Iconibus clar. vir. ſub lit. o. fol. 1*, hæc ſunt verba:

Fraſtori venerande, Deûm Te munere gaudet
Italia &c.

Repetitum idem legitur in ſequentibus. Habet & ADAMI FUMANI, Veronenſis, carmen in honorem FRACASTORII, quod præmiſſum legitur *Opp. Frac.* verſum:

Jam grandis ævo hic conditur Fraſtorius.

Nec ſane intuliſſe nomini injuriam putandi ſunt illi; quandoquidem ipſe *Fraſtorium* ſe dixit Noſter in *carmine ad Alexandrum Farneſium:*

- - *non dedignabere parva*
Fraſtori, &c.

Id quod pluribus ipſius, ſi operæ pretium eſſet, confirmare poſſem teſtimoniis.

(b) Multum facit ad gloriam decusque FRACASTORII, quod ea ex urbe duxit originem, cujus jam inde a primis Romanæ reipublicæ incunabulis, ut ex LIVII *lib. V. cap. 35* apparet, nomen fuit clariſſimum. Magnifica ipſius FRACASTORII de patria tam illuſtri verba ſunt in *Syphilide lib. I. vſ. 445. ſeq.*

O patria, o longum felix, longumque quieta
Ante alias, patria o divum ſanctiſſima tellus,
Dives opum, foecunda viris, lætiſſima campis
Uberibus, rapidoque Atheſi & Benacide lympha &c.

Forte tamen majorem patriæ ſplendorem FRACASTORIUS, quam huic patria attulit. Vix dubitare ea de re auſis, ſi pendeas ex judicio FRANC. POLÆ, JCti Veronenſis, cujus verbis, quæ habentur in ANDR. CHIOCCI libro *de Collegii Veron. Medicis & Philoſ. Sect. I. cap. 11*, neſcio, an dici quicquam poſſit gravius & FRACASTORIO honorificentius. *Detrahe*, inquit, *Veronenſibus Hier. Fracaſtorium, aut nulla, aut non tam clara Verona erit.*

(c) Noſtrum jam non eſt, pleniorem Veronæ urbis contexere hiſtoriam, atque ea omnia, quæ inſignem ei præ aliis urbibus prærogativam tribuunt, fuſius hic commemorare. Præſtiterunt id ante me viri doctiſſimi, ita ut nihil fere præclarum & ſingulare habeat hæc civitas, quod non diligentiſſimis ſcriptorum tam noſtræ, quam ſuperioris ætatis illuſtratum ſit Commentariis. Sive enim ultimam urbis originem, antiquitatem, & varias, quibus ſæpiſſime fuit obnoxia, viciſſitudines ſcruteris, luculentiſſimum horum omnium ſcriptorem habes ONUPHRIUM PANVINIUM, cujus *Antiquitates Veronenſes libris VIII Veronæ A. 1647. fol.* poſtea, *libris tribus* diſtinctæ, *Patavii* prodiere *A. 1668. fol.* & TORELLUM SARAYNAM, quem conſtat *de Origine & Antiquitatibus urbis Veronæ* opus eruditum vulgaſſe *Veronæ A. 1540. fol.* inſertum etiam ANDR. SCHOTTI *Italiæ illuſtratæ*, & J. G. GRÆVII *Theſauro Ital. T. IX. P. 8*, nec non maximi nominis virum, SCIPIONEM MAFFÆUM, tam generis, quam doctrinæ gloria illuſtriſſimum, qui doctiſſimum, ut ſolet omnia, libellum *dell' antica condizion di Verona* edidit *Venetiis A. 1719*, & alia multa de rebus Veronæ memorabilibus meditatus dicitur in *Novis literariis lat. anni 1722*, a Celeb. JO. GOTTL. KRAU-

KRAUSIO editis, *p. 3. ſeq*; ſive de urbis dominis & imperio, rebusque Veronenſium fortiter ac præclare geſtis requiras, præter ſcriptores memoratos abunde ſatisfacient deſiderio tuo TORELL. SARAYNA in *Hiſtoriarum & Geſtorum Veronenſium tempore Scaligerorum libris tribus*, adjectis J. G. GRÆVII *Theſ. It. l. c.* JOSEPHUS JUSTUS SCALIGER in *Epiſt. de Vetuſtate & ſplendore gentis Scaligeræ, ibid.* obvia, & ſigillatim *Lugd. Bat. A. 1594* a JANO DOUSA publici juris facta, a qua multum diſcrepat PAULI SCALICHII *de Genealogia Scalichiorum* liber; porro LUDOVICUS MOSCARDUS in *Iſtoria di Verona, Veronæ A. 1668 in 4* in lucem miſſa, HIERONYMUS DALLA CORTE, in ſimilis inſcriptionis Opere, *Veronæ A. 1594 in 4* typis excuſo, &, cujus præcipua de rebus Veronenſium ſunt merita, ONUPHR. PANVINIUS in ſingulari *de Urbis Veronæ viris doctrina & bellica virtute illuſtribus* libro, *Veronæ A. 1621 in 4* vulgato; ſive denique de civium tam illuſtris urbis Italæ conditione, & laudibus præcipuis edoceri cupias, non ſpernendam hauries notitiam ex JO. FRANCISCI TINTI (quem neſcio an accurate ſatis FRANC. TITIUM dixerit S. Rev. JO. ALB. FABRICIUS in *Conſpectu Theſauri literarii Ital. p. 366*,) Opere compoſitiſſimo, quod inſcripſit *la Nobiltà di Verona*, ediditque *Veronæ A. 1592 in 4*, uti apparet ex *Biblioth. Mencken. ed. nov. p. 595*. Addo huic AUGUSTINUM BEATIANUM, cujus *Verona* cum PETRI BEMBI *Benaco* junctim prodiit *Romæ A. 1524*. Taceo ſcriptores, ſi qui reſtant, alios, quibus in tanta optimorum Autorum copia ne quidem videmur indigere.

(d) Si quid laudis redundare in civitates poteſt ex doctorum virorum abundantia; negari profecto nequit, inſigni præ multis aliis Italiæ oppidis nobiliſſimis Veronam exſplenduiſſe gloria. Leguntur tam in antiquis, quam recentioribus hiſtoriarum monumentis nomina eorum quamplurima, qui ſpecta-

tæ virtutis & exquiſitæ doctrinæ fama Veronam patriam egregie nobilitarunt. De CORNELIO NEPOTE, CICERONIS æquali, M. VITRUVIO POLLIONE, Architecto celebri, ÆMILIO MACRO, poeta tolerabili, certa ſatis res eſt, naſcentes Veronenſis agri gremio fuiſſe exceptos. Neque dubii quicquam habet, eandem coluiſſe patriam C. PLINIUM SECUNDUM, illum naturæ univerſæ inveſtigatorem feliciſſimum, de cujus natalibus commemorant PAULUS CIGALINUS in libro *de C. Plinii Secundi Natur. Hiſtor. ſcriptoris vera patria*, & POLYC. PALERMUS in libris tribus *de Vera C. Plinii Secundi ſuperioris patria atque ea Verona*, uterque J. G. GRÆVII *Theſ. Ital. l. c.* adjunctus. Habet inprimis Verona, cur glorietur cive egregio, Q. VALERIO CATULLO, Poeta omnium ſuaviſſimo pulcherrimoque, quem jucundis ſæpe modulantem citharis, & mollicula cantantem carmina audivit. Teſtis eſt OVIDIUS in *Amor. lib. III. Eleg. 15*:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo;

eoque nomine cum Mantuana urbe Veronam comparavit MARTIALIS *lib. XIV, Epigr. 195:*

Tantum magna ſuo debet Verona Catullo,
Quantum parva ſuo Mantua Virgilio.

Unde, ne ingrata eſſet erga cives bene meritos, PLINIO & CATULLO, utrique in arte ſua præſtantiſſimo, æterna ſtatuarum monumenta dedicavit blanda parens Verona. Id quod binis verbis memoraſſe ſufficiat, ne, ſi pluribus id perſequar, materiam præripiam ſingulari, cui dudum incumbo, *de Statuis, doctorum virorum memoriæ conſecratis*, Commentationi. Plures, nec magis fortaſſe degeneres, Veronæ civitati alumnos recentiora dedere tempora. Singulorum nolo hic coacervare nomina; ne temere ambagibus ſtudere videar. Perfuncti hoc labore jam pridem ſunt alii, non minori cum laude, quam induſtria. Copioſe in percenſendis illis verſati ſunt ONUPHR.

PAN-

PANVINIUS in libro *de Urbis Veronæ viris doctrina illuſtribus*, & ALEXANDER BECELLUS in *Indiculo Scriptorum Veronenſium.* Adducit etiam nonnullos JAC. GADDIUS in libro *de Scriptor. non Eccleſiaſt. P. II. p. 350.* OCTAVIUS ALECCHUS elucubrandi majoris Operis *de Scriptoribus Veronenſibus* ſpem fecit in *Ephem. erud. Ital.* quas *Giorn. de Letter.* vocant, *T. IX. p. 118. A. 1712*, ſed, fidem datam num impleverit, ignoro. Speciatim Jurisperitorum, quos tulit Verona, catalogum concinnavit JULIUS a PUTEO in *Elogiis Collegii Veronenſis Judicum, Advocatorum, doctrina, natalibus, honoribusque inſignium, Veronæ A. 1653. fol.* ubi, non dubito, FRANCISCI POLÆ & BARTHOLOMÆI CEPOLLÆ injectam mentionem eſſe. Mathematicos, Hiſtoricos, & Poetas Veronenſes qui peculiari Commentario complexus ſit, ſcriptorem non memini audiſſe me quenquam. Si quis tamen id operæ in ſe ſuſciperet, ei ſilentio prætereundi non eſſent viri egregii, TORELLUS SARAYNA, CELSUS MAFFÆUS, ONUPHRIUS PANVINIUS, JO. COTTA, JACOBUS BONFADIUS, ADAMUS FUMANUS, NICOLAUS ARCHIUS, BERNARD. DONATUS, HIERONYMUS VERITAS ſeu VERITATIS, &, qui fama ſua omnem Venetorum rempublicam hodie illuſtrat, variæ doctrinæ ſcriptis quam plurimis notiſſimus, SCIPIO MAFFÆUS. Medicorum, quibus nullo non tempore Verona cumprimis abundavit, univerſam turbam, quantam ex Annalibus licuit colligere, ſi in gratiam FRACASTORII mei, illorum principis, attulero in medium, nihil me facturum puto aut inopportunum, aut Lectoribus meis cognitu injucundum. Ita vero ſinguli ſe ordine excipiunt: JO. ARCULANUS, ALEARDUS DE PINDEMONTIBUS, FRANCISC. PEDEMONTANUS, GABR. ZERBUS, ALEXANDER BENEDICTUS, HIERON. TURRIANUS, M. ANTON. TURRIANUS, ANTON. FUMANEL-

NELLUS, JO. BAPTISTA CONFALONERIUS, JO. BAPT. MONTANUS, JULIUS CÆSAR SCALIGER, vel BORDONIUS, DOMINICUS MONTHESAURUS Junior, BERNARDINUS PLUMATIUS, GERARDUS & MATTHÆUS BOLDERII, PETRUS SACCUS ſeu de SACCO, PAULUS JULIARIUS, PAUL. DIONYSIUS, ALEXANDER SERATICUS, PETRUS BONALINUS, JOSEPH. VALDANEUS, BERNARDIN. PATERNUS, CHRISTOPH. EVARINONUS, JO. ANT. TURCUS, NICOL. MARONEA, HIERON. RIPA, THOMAS de VICO, HIERON. BAGOLINUS, JO. FRANCISC. BURANA, PETR. MAYNARDUS, PETR. BEROLDUS, HIER. PINDEMONTIUS, JO. BAPT. PANTINUS, JULIUS MAYNARDUS, ALEXANDER ZANCHUS, ALEXAND. LANDUS, JO. BUTYRONUS, JO. PINDEMONTIUS, BALTHASSOR ALDUS, JO. BAPT. PUTEUS, LAURENT. MONSELICIUS, VICTORIUS ALGAROTUS, MARSILIUS CAGNATUS, GERARDUS RAMBALDUS, FRANC. BROGNOVICUS, JO. BAPT. PONA, VALERIUS BADILIUS, BENED. CERUTUS, GUIL. PLACENTINUS, FRANCISC. AURICALCHUS, LUDOV. NOGAROLA, qui differt ab alio ejusdem nominis, Theologo, itidem Verona oriundo. His alios addit ANDR. CHIOCCUS in elegantiſſimo *de Collegii Veronenſis Medicis* Opere, ſigillatim edito *Veronæ A. 1623 in 4*, poſtea quoque *Theſ. Græv. T. IX. P. 8* annexo, & nos ipſum addimus ANDR. CHIOCCUM, quem conſtat Veronæ magna cum laude artem medicam profeſſum. Recentiſſimæ ætatis Medicos, ſive adhuc ſuperſtites, ſive haud ita pridem defunctos, ipſi, ſi quidem velit, Lectori ſupplendos relinquo. Horum enim ſcripta præclara, quæ ſtudiis continuis dari foras ſolent, haud difficile nobis innoteſcunt, & omnium, qui hæc amant ſtudia, oculis ſunt expoſita.

(e) Tædet me negligentiæ ſcriptorum, qui, cum illud inprimis curare deberent diligentiſſime, ne quicquam relinquerent non memoratum, quod ad fata & res quasvis hominis, cui

cui nihil cum vulgo commune eſſet, pertineret, nos ipſos ſtatim Viri ſummi natales ignorare juſſerunt. Non tangit hæc accuſatio eos, quos evolvere non licuit. Sunt forte in his, quibus melius mereri de poſteritate placuit. Excuſſi tamen, ſi recte memini, eorum potiſſimos, illos nempe, qui ad tempora FRACASTORII proxime acceſſerunt, & tanto turpioris ſilentii notam incurrunt, quanto certiorem rerum illarum aut habuerunt, aut potuerunt habere notitiam. Quis vero in antiquiorum temporum inveſtigatione tantas ubique tenebras offendi, tantis nos implicari difficultatibus miretur, cum eorum, quæ ante duo, & quod excurrit, ſecula contigerunt, non omnia adeo comperta, nec Hiſtoricorum confirmata ſint teſtimoniis. PAULUS FREHERUS quidem in *Theatro erud. vir. p. 1234* annum HIERONYMI natalem conſtituit 1483; ſed eſt ille recentioris ætatis ſcriptor, nec aliunde, quam ex conjecturis, cognitum hoc ei fuiſſe, illud ſatis evincit, quod de menſe ac die natali nihil ab eo fuit additum.

(f) Vix quicquam nobis ea de re ſubnaſci poteſt dubii, ſi recte computemus annos ætatis ejus, quos conſtat fuiſſe plus ſeptuaginta, & computando nos referamus ad annum mortis 1553, de quo itidem explorata ſatis res eſt. Ita, calculo accuratiſſimo, annum FRACASTORII natalem habebimus 1483.

(g) Ut de menſe & die certi quid ſtatuere poſſim, opus mihi videtur eſſe divinatione quadam. Nuſquam enim ejus rei obveniſſe mihi recordor veſtigia. Cur vero in prioribus anni 1483 menſibus diem natalem quærendum putem, illud in cauſa eſt, quod annis FRACASTORIUS ſeptuaginta major, & dies VI Auguſti omnium ei fuiſſe ſupremus dicatur; quæ ſi vera ſunt, uti ſunt omnino, ſub initium potius, quam finem anni 1483, in lucem editus videtur.

(h) Gens FRACASTORIA in illuſtriſſimis antiquiſſimisque, quæ unquam Veronæ ſedem habuere, qualis forte SCALIGERANA aut NOGAROLIA fuit, annumeranda

eſt. Unde JAC. AUG. THUANUS, dum *loco nobili natum* dicit FRACASTORIUM in *Hiſtoriar. lib. XII. ad ann. 1553. p. m. 576*, non ſatis ſplendidis pro dignitate gentis verbis utitur. De antiquitate ejus, quæ plurimum facit ad nobilitatem, nulla eſt inter ſcriptores, quorum veneror autoritatem, controverſia. *Perantiquam Veronæ, atque ob id valde nobilem familiam* vocat *Autor Anonymus* (quem PAULUM RHAMNUSIUM, Venetum, puto, ſi is ipſe eſt autor vitæ, qui editor eſt *Opp. Frac.*) *Vitæ Fracaſtorii*, præmiſſæ *Operibus* ejus, *Venetiis apud Juntas A. 1584* junctim editis; &, ſi ejus præcipue ſcriptoris teſtimonium hanc in rem valere contendis, qui ipſe Veronam patriam coluit, teſtem habes FRANC. POLAM, Juriſperitum, cui *generoſa perantiquæ familiæ ſtirpe oriundus* dicitur FRACASTORIUS in *Elogio* ejus, quod legitur in ANDR. CHIOCCI *de Colleg. Veron. Medicis Sect. I. Cap. II.* Tantum nobis de ſplendore gentis ſcire datum eſt. Neque enim ſatis jam ſuppetit otii, quos Italus noſter avos atavosque numerarit, qua illi virtute, quibus in patriam meritis inclaruerint, ex annalium eruendi monumentis, & copioſe hic ediſſerendi. Perquirat, ſi quem hujus rei cura tangit, JO. FRANC. TINTUM *de Nobilitate Veronenſi*, cui, ſi quid conjicere licet ex rubro libri, illuſtriſſima FRACASTORIORUM nomina ſilentio non puto prætermiſſa. In *Decreto Senatus & civitatis Veronenſis pro erigenda Fracaſtorio ſtatua marmorea* memoratur quidam CHRISTOPHORUS FRACASTORIUS, *Proviſor civitatis*, ut vocatur ibi, *communis*, & *Domini ſpectabilis* elogio donatus, Noſtri, ut videtur, conſanguineus. Nobis ſcire ſufficiat, ad incrementum & florem ſtirpis FRACASTORIÆ ſatis hunc unum contuliſſe ſurculum.

(i) De patre PAULO PHILIPPO nos dubitare non ſinunt teſtimonia fide digniſſima ONUPHR. PANVINII *lib. VI. de Antiquit. Veronenſ.* HIERON. GHILINI in *Teatro d'huom. letter ſub Frac.* *Autoris Anonymi Vitæ Frac. l. c. p. 1*, & aliorum, qui-

quibus ingens robur addit Inſcriptio ſtatuæ FRACASTORIO in urbe Veronenſi poſitæ:

HIERONYMO FRACASTORIO
PAULI PHILIPPI F. &c.

Exhibet illam PANVINIVS *l. c.* At quis fuerit iſte PAULUS PHILIPPVS, qua laude conſpicuus, quæ geſſerit in urbe munia, cum nulli ſcriptorum proditum ſit memoriæ, noſtrum non eſt hariolari. Illud ipſum tamen ſcriptorum ſilentium in cauſa eſt, cur nomen ejus non adeo præclarum credam, & majorem ex proavis, quam ex parente comparatam FRACASTORIO gloriam exiſtimem. Nam ſi fuit illius ſingularis quædam, quoad vixit, exiſtimatio; hujus rei commemoratio majorem ipſi etiam filio conciliare opinionem poterat. Medicum forte dicis, propterea quod filium habuit in arte iſta excellentiſſimum? non abnuo; modo non pertinacius id contendas. Novimus enim OTTONEM BRUNFELSIUM patre doliario, EURICIUM CORDUM & PETRVM LOTICHIUM, præſtantiſſimos Medicos, parentibus editos ruſticis. Quisquis demum fuerit, vir fuit honeſtus & famæ integræ, tantoque filio non indignus prorſus. De matre, *Camilla Maſcarellia*, Vicentina cive, non niſi unus teſtatur *Autor Anon. Vitæ Frac. l. 6.* cujus, utpote ab ætate FRACASTORII non longe adeo remoti, tantum apud me valet autoritas, quantum vix aliorum omnium. Neque tamen præter nomen & patriam quicquam de illa memorat. Unde, de materno FRACASTORII genere, nihil habemus, quod conferamus in commune. Forte honeſtius fuit, quam illuſtrius; etſi, non defuiſſe Vicentinæ urbi cives dignitate generis clariſſimos, luculenter conſtare nobis poſſit ex BARNABÆ CELSANI *de Viris illuſtribus Vicentinis* libello, & JO. BAPT. PAJARINI *Hiſtoriæ Vicentinæ libro quarto*, qui civitatis hujus viros tam doctrina, quam artibus bellicis, illuſtres fuſius perſequitur.

(k) Unum hoc de parentibus FRACASTORII compertum

tum habemus, quod ſanctioris vitæ apud ſuos laudem obtinuerint. Nam *ſummæ probitatis* homines vocat *Autor vitæ Frac. l. c.* copioſior quidem ea in re ſcriptoribus reliquis, at verborum ſatis, ut videmus, ipſe parcus. Id quod argumento nobis eſſe poteſt, nihil præterea ſingulare ab iis fuiſſe geſtum, quod memoratu dignum viſum ſit ſcriptori ſolertiſſimo. Bonos cives fuiſſe crediderim, vitam in ſilentio conſumentes, & morum magis innocentia, quam factis glorioſe editis in civitate patria famam conſecutos.

(l) Ita quidem rem refert ÆGID. MENAGIUS in *Anti-Baillet P. I. p. 347. ed. nov.* quem ſequitur ANTON. TEISSIERIUS in *Elog. des hom. ſav. T. I. p. 170 & 174.* Miror, nihil de re tam memorabili & Phyſicis inprimis admodum jucunda auditu memoriæ proditum ſcriptoribus reliquis, iis ipſis ſcilicet, quorum præcipua eſt in argumento, quod pertractandum ſuſcepimus, autoritas, & quorum adeo ſilentium ad infringendam eorum, quæ vulgo narrari ſolent, veritatem plurimum habet ponderis. Unde vix imperare mihi poſſem, ut uni homini Gallo, non indicanti fontem, unde hauſerat iſta, temere haberem fidem, niſi in promtu eſſet Epigramma JULII CÆS. SCALIGERI, quem æqualem habuit FRACASTORIUS, in *Carminum ejus libro, quem Aras Fracaſtorias inſcripſit*, quin & in MENAGII *Anti-Baillet l. c.* & TEISSIER. *Elog. l. c.* obvium, & ad confirmanda ea, quæ prolata ſunt a MENAGIO, perquam idoneum. Ita vero ille in mirum naturæ luſum ipſe luſit:

Os Fracaſtorio naſcenti defuit, ergo
Sedulus attenta finxit Apollo manu.
Inde hauri, Medicusque ingens ingensque Poeta,
Et magno facies omnia plena Deo.

Dignos, quos metro vernaculo redderet, verſiculos judicavit JO. BAPTISTA MARINUS, Poeta Italorum venuſtiſſimus:

Al Fracaſtor naſcente
Mancò la bocca, allora il biondo Dio

Con

Con arte diligente
Di ſua man gliela fece, e gliel' aprio,
Poi di ſe gliel' empio.
Quinci ei divin divenne: ed egualmente
E Fiſico, e Poeta.

Vid. MENAG. et TEISSIER. *l. c.* A MENAGIO, nihil pretii ſtatuente SCALIGERI patris carminibus, nec ullum ex iis tolerabile exiſtimante, ut conſtat ex *Anti-Bail. p. 315*, ubi rigidiſſimam de illis ſententiam tulit, vix gratiam inierit hac verſione MARINUS, in cujus carminibus vernaculis ſublime ac divinum prorſus ingenium ineſſe dicitur. Conf. DE LA MONNOYE in *Notis ad Menag. Anti-Bail. l. c. n. 1.* Ego vero, etſi non tam inepti ſum palati, nec ita me delectare ſolent obvia quæque, ut, quæ cecinit SCALIGER, quæque invito ſæpius & murmurante Phoebo cecinit, hæc omnia digna putem novem ſororibus, non improbare tamen MARINI poſſum judicium, quippe qui ex univerſo Epigrammatum, quæ compoſita ſunt a SCALIGERO, volumine optimum omnino venuſtiſſimumque pro callido & gnaro horum laborum ingenio ſuo videtur exquiſiviſſe. Quidni & iis, qui admodum ſapiunt delicate, ad ſtomachum eſſe poſſint verſiculi illi, ego quidem non video. Si hujus id eſſet inſtituti, oſtenderem obtrectatoribus Scaligeranis, tantum abeſſe, ut in numeris hiſce jure quid poſſit reprehendi, ut omni conſperſi ſale, & ad ſanas poetices, non ejus quidem, quam exſiccata illa & vacua cerebro capita hodie venditant, leges ſint compoſiti. Id quod tanquam in tranſitu non poſſum non de aliis etiam, quæ vulgo Poetarum inprimis ſordent, SCALIGERI carminibus hic annotare, quæ, non tam ex meo, quam intelligentis cujusque, judicio, lepore & gratia ſua haudquaquam ſunt deſtituta, lectorem vero talem poſcunt, qui non rudis ſit dictionis Latinæ, ſed veteres ſibi Poetas omnes reddiderit familiares. Quod vero pauciſſimis ad palatum ſint epulæ Scaligeranæ, hujus rei cauſam in eo ma-

xime poſitam credo, quod in verborum compoſitione poetica ille paulo videtur durior, nec adeo gnarus fuit illius artificii, quo ad permulcendas & ineſcandas quaſi audientium legentiumve aures omni tempore callide uſi ſunt illi fungorum inſtar ex terra proſilientes modulatores magis, quam Poetæ. Unde nec ab iis multum diſſenſerim, qui molliores ornatioresque putarint Epigrammatis præſentis Italicos, quibus MARINUS luſit, quam latinos SCALIGERI numeros. Id vero, ſi quidem eſſe putas aliquod Poetæ hujus vitium, tale certe eſt, quod ſicut per ſe leve putandum, & in Poeta celebratiſſimo ne reprehendendum quidem, ita præclaris multis excellentiſſimisque virtutibus egregie fuit compenſatum. Sed ad MENAGIVM revertor, qui etſi recte egit, quod SCALIGERI hic ſecutus eſt autoritatem, rectius tamen egiſſet, ſi & reliquorum, unde ea omnia comperta habuit, ſcriptorum mentionem intuliſſet, cum ipſe copioſior longe ſit SCALIGERO, nec verbum ille proferat de via anguſtiſſima in ore FRACASTORII medio ad ducendum ſpiritum relicta. At exigui hæc momenti ſunt, nec miram magis rem ipſam, ſi vera omnino ſint, nec minori dignam conſideratione, ſi fuerint conficta, poſſe videntur efficere. Secure tamen inhæſi verbis MENAGII, quod crederem, frequentiora longe & magis audita eorum exempla eſſe, qui contractis paululum & condenſatis labiorum nervis in lucem ſint editi, quam quibus os omne a natura occluſum penitus fuerit atque obſeratum. Ad inſolita vero & minus naturalia delabi, ubi de iis, quæ magis naturæ reſpondent, certior eſt ratio, non eſt hominis, veritatem ſtudioſius, quam fabularum commenta, ſectantis.

(m) Vid. MENAG. *l. c.* & TEISSIER. *l. c.* Dignum opus tonſoris cultello, nec ulla hominum memoria auditum antehac. Naturam puero oris & labiorum decus negantem miraris? At magis mirare Chirurgum, ſecando reſtituentem. Feliciſſimum genus hominum, cui ſecare omnia, & ſecando ho-

hominem formare contigit. Ille certe, quisquis fuit, major fuit tonſore puero, quem fuiſſe canit MARTIALIS *lib. VIII. Ep. 52*

- - - arte talem,
Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
Druſorum cui contigere barbæ.

Ego vero mallem per omnem vitam monſtri quid alere in ſupremis labris, quam ſpecimine tam cruento artem Chirurgi experiri, quantumvis manu & novacula exercitati. De FRACASTORIO, cunas nondum egreſſo, miror inprimis tam deſperatum capi potuiſſe conſilium. Vix enim ſuſtinendis doloribus tantis ſufficere videntur tenelli vires infantuli, cui, ſi vel levi digito tangatur, lachrymas cadere videmus ardentiſſimas. Sed id quidem parum, ut conſtat, curare Chirurgi ſolent, qui ſuæ hoc artis arbitrantur, hominem exuere, & lucroſæ magis magisque animum aſſuefacere crudelitati.

(n) FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* & JO. IMPERIALIS in *Muſeo Hiſtor. p. 16*, ſingulare hoc de FRACASTORIO referunt, tum, cum de re gravi ſerio cogitaverit ſecum, ſupremum continuo mordere labrum conſueviſſe, nec a more iſto ante finem vitæ receſſiſſe. Cauſam ejus rei nemo ſcriptorum addit; ſed meræ uterque rem fuiſſe conſuetudinis exiſtimat. Ego cultri tonſorii triſtes hic reliquias deprehendo. Quis enim dubitet, tantum FRACASTORIO ex violenta oris inciſura per omnem vitam doloris relictum fuiſſe, ut mitigare illud molli quodam dentium morſu ad extremam usque ſenectutem neceſſe habuerit?

(o) Nulla hic fabulæ ſuſpicio ſubeat animum Lectoris; ſunt enim hæc probatiſſimorum ſcriptorum confirmata teſtimoniis. Fuſius enarrata leguntur in FRANC. POLÆ *Elogio Frac.* ANT. TEISSIERII *Elog. T. I. p. 171*, HIERON. GHILINI *Teatro d' huom. let. ſub Frac.* &, qui unus ſufficere poterat, *Autoris Anon. Vitæ Frac. l. c.* Singulorum narrationes, ſi pau-

paucula excipias, accurate inter ſe conveniunt. Eleganter inprimis & ſermone ſuaviſſimo rem, uti geſta eſt, exponit POLA, cujus verba lectu non ingrata fore Lectoribus, confido. Ita vero ille: *Hier. Fracaſtorius mira vitæ incunabula a divina fatalique cæleſtium Numinum benignitate auſpicatus eſt. Matrem enim infans adhuc, & tantum non vagiens, cum ipſa ei in ſinu ſuſultanti blandulos garriret jocos, ictu fulminis horribili confectam illæſus ſenſit, ſi modo ſentire potuit.* Quantum ad annos, quos impleverat, cum iſta contigere, FRACASTORIUS, diſcrepare a POLA videtur *Autor vitæ Frac.* qui tantum *cunis vix egreſſum* dicit Noſtrum, cum ille egreſſum vix utero perhibeat. Neque etiam *Autor* ille abſumtam fatali fulmine, ſed *ictam* ſaltem refert matrem; quamvis in eadem fuiſſe eum opinione, exinde pateat, quod de filio HIERONYMO addat, *incolumem* eſſe *ſervatum.* PAULUS FREHERUS, ut ipſe etiam ſingulare aliquid huic rei adſpergeret, tunc, cum ubera præberet filiolo, ictu fulminis proſtratam ait *Maſcarelliam* in *Theatro vir. erud. l. c.* Id quod parum habet probabilitatis. Trepida pallensque ad longinquos tonitruum fremitus foemina vix, imminente jam & deſuper cadente fulmine, de alimentis filio ſuppeditandis, iis inprimis, quæ dari non poſſunt niſi a matre, timoris prorſus formidinisque experti, cogitaſſe videtur. Haberem plura, quibus ſuſpectam redderem omnem de matre FRACASTORII igne fulminis ſublata narratiunculam, ſi ingenio fas eſſet indulgere contra teſtium certiſſimorum autoritatem. Quid? ſi quæreret quis, unde fieri potuerit, ut incolumis ſervaretur infans, tenellus quidem, nec adhuc a matris depulſus uberibus, cum, proſtrata matre, in cujus hærebat complexibus, neceſſe eſſet, ipſe cum matre infans in terram procideret. Putasne, ex caſu tam repentino, tamque violento, nihil incommodi traxiſſe filiolum, nec in vehementiſſimis illis tumultibus ullos capitis aut membrorum dolores ſenſiſſe? Multum profecto hic nos eſſe credulos oportet.

(p) Quis dubitet, ſimul ac percrebuit caſus tam inauditi fama, neminem fuiſſe, qui non in ſtuporem horroremque conjectus, ſumma quæque & auſpicatiſſima, tanquam fatorum præſcius, ominaretur infanti FRACASTORIO. Habuit inprimis, in quo ſuperſtitioſi vires ingenii exerceret, imperita plebecula, quæ, utpote ad ſtuporem promtiſſima, & in indagandis rerum cauſis parum perſpicax, de rei cujusque magnitudine ex inſolitis & raro auditis eventibus exiſtimare ſolet. Neque tamen defuere ex ſagacioribus, qui omnem, qua uſus eſt maturiori ætate FRACASTORIUS, felicitatem nominisque famam ad illud divinitus factum infantiæ prodigium referrent. Notandus hoc nomine HIERON. GHILINUS *l. c.* *Autor Vitæ Frac. l. c.* &, quod miror, FERD. JAC. BAIERUS, Medicinæ, & quas ignorare haud decet Medicum, rerum naturalium, ut puto, ſtudiis addictus, qui, cum in *Oratione de Fulminibus literatorum ordini fatalibus*, *Altorfii A. 1724* edita, non poſſet non mentionem facere FRACASTORII, re omni enarrata, factum hoc ſingulare *non ſine futuræ gloriæ felici præſagio* contigiſſe addit. Quaſi vero hoc ei datum eſſet, ut divinorum conſiliorum ageret interpretem. Oratoris hæc vox eſt; Philoſophi eſſe neutiquam poteſt. Non ſum ego tam profanæ mentis, ut, quæ non niſi ex ſingulari Dei nutu & arbitrio facta manifeſto intelligimus, eorum nullam putem habendam rationem; in ea tamen fateor me eſſe cum prudentiſſimis multis ſententia, temere hic & incaute uti judicio ſuo, quamque omnis naturæ ignari ſint, haud obſcure prodere, qui res obvias quasque, quarum magnitudinem concipere animo non poſſunt, in portentoſis habendas clamitant. Expedita vero & Phyſicis omnibus conclamata dudum, quin & exemplis innumeris confirmata res eſt, fulmina, quæ ſulphur & bitumen alunt denſiſſimum & maxima vi conſtipatum, dum nubibus emiſſa terram feriunt igne ſuo, ſimilem ſui materiam quærere, & quanto plures, quantoque ſpiſſiores quæque res vapores exhalat, tanto

magis rapidiſſimis fulminum flammis eſſe expoſitam. Quod æque valet in hominibus, ac in rebus aliis, animantibus, arboribus, tectisque bitumine imbutis. Eadem eſt ratio, cur minus immineat periculi homini infantiam vix ingreſſo, quam in medio vitæ curſu conſtituto. Non hominem fulmen petit, ſed particulas illas, quæ meatibus cuticularibus egreſſæ, circumvolant quaſi hominem. Quod vero pereundum plerumque ſit homini, in quem fulmina fecere impetum, ejus rei cauſam novimus hanc eſſe, quod, fumo illo ſulphurato & ignibus gravido occupante corpus humanum & vehementer comprimente, viæ ſingulæ, per quas auram vitalem carpimus, exſpiſſentur penitus, & obſtruantur. Ergone, pereunte ignibus fulmineis Maſcarellia, miraberis, ſervatam vitam infanti eſſe? an, rudis iſtarum rerum, tollendum cum matre filium fuiſſe, dices? Ipſa, mihi crede, infantia FRACASTORIUM præſtitit incolumem, fata forte inclementiora experturum, ſi vegeto magis robore inſtructus fuiſſet; matrem id ipſum perdidit, quod mater fuit, non ludibrio futuram fulmini, ſi, coorta tempeſtate, infans infanti adſediſſet. Deſine igitur, quod vetulæ ſolent, omina clamare & miracula, tibi ſoli mirabilia, & melius ſcrutare naturam, ne jejunis & inconſideratis judiciis naturæ dominum offendas. Taceo, ad eam, quam FRACASTORIO fata deſtinaverant, gloriam & dignitatem, ſatis amplam quidem, at non tantam, qualem dormienti Servio Tullio portendit flamma in capite ardens, ne opus quidem fuiſſe tam cruentis ominibus, & excellentioris longe famæ viros quoquo tempore extitiſſe, quibus nec ictus fulminis, nec quodvis aliud prodigium æternitatem nominis prædixit. Et quærere ex Te poſſem, quid dicturus fuiſſes, ſi fortaſſe docuiſſet eventus, vanam de futura FRACASTORII fortuna fuiſſe ſpem conceptam, & quid de illis omnibus dicas, quos, ſub arbore forte, dum ictu fulminis proſternitur, umbram captantes, aut gravi ſomno ſepultos, non tetigit flammæ ardor, neque tamen poſtea infimæ plebis ſorte exemptos conſtat.

§. II.

§. II.

Naturam Fracaſtorius liberalem beneficamque expertus eſt, &, ut primum viribus invaluit paululum, præclara virtutis indoles, & divinum in eo feliciſſimumque eluxit ingenium. (a) Cujus cum Noſter ab ipſis pueritiæ annis clariſſima daret ſpecimina, talemque ſe dictis factisque manifeſtaret, ut maxima pueri præter ætatem ſagacis eſſet admiratio; non potuit non parens Fracaſtorii in ſpem eam ingredi certiſſimam, fore, ut hujus olim opera & virtute antiquum gentis Fracaſtoriæ decus non conſervetur ſolum, ſed augeatur etiam atque mirifice amplificetur. (b) Suarum igitur memor partium, ut maturiores ager bene cultus fructus ferret, de filio ingenue liberaliterque educando diligenter cogitavit, primisque literarum elementis pro captu ætatis curavit inſtituendum. (c) Cumque hac tenera ſtatim ætate natum ſe formatumque plane ad literas oſtenderet Noſter tam pertinaci induſtria, quam docili inprimis ingenio; brevi tempore tantos in artibus, quæ ad humanitatem pertinent, fecit progreſſus, ut communi eorum, quos rerum ſuarum moderatores habebat, ſuffragatione dignus judicaretur, qui ad ſublimiora jam faceret gradum, & ampliſſimum ſcientiarum omnium, quæ in Academiis docentur, campum percurreret. In Patavinum igitur Gymnaſium, eorum omnium, quibus Italia ſe jactat, ſine dubio

nobiliſſimum celebratiſſimumque, (d) conceſſit adoleſcens, (e) eo quidem conſilio, ut animum doctrina excoleret multiplici, artibusque ingenuis redderet firmatiorem. Traditus hic in diſciplinam Petri Pomponatii, maximi nominis ſed acerbioris fortunæ Philoſophi, (f) docenti præſtantiſſima veræ ſapientiæ præcepta frequens aſſedit auditor, doctrinasque ejus non e trivio collectas avidiſſime imbibit. (g) Admirabili inprimis ad Matheſin, ejusque partem præcipuam, quæ aſtrorum ſiderumque curſus ſcrutatur, ardore concitatus, in hæc totum ſe abdidit ſtudia, (h) & doctrinæ illius, quam ſubtiliſſimis poſtea ſcriptis complexus eſt, firmiſſima jecit fundamenta. Quibus jam probe tinctus ac perpolitus literis, ad Medicinam demum, tanquam artium omnium reginam, & ſibi maxime aliisque profuturam, curas omnes cogitationesque convertit, (i) & in acquirenda ejus cognitione ita verſatus eſt diligenter, ſicut verſari debebat is, qui, Medicis omnibus fama ſe olim & doctrina fore ſuperiorem, præſagiente animo intelligebat. Acuit vero induſtriam Fracaſtorii in hoc ſtudiorum curriculo illud maximopere, quod plurimos habuit docti laboris ſocios ac æmulos, qui, conjuncti Noſtro arctiſſima familiaritatis neceſſitudine, omnes in id videbantur conſpiraſſe, ut de famæ & gloriæ futuræ palma, qua poſſent, nervorum ac ingenii contentione inter ſe decertarent. (k)

(a) *In-*

(a) *Incomparabili* cumprimis *memoriæ ingeniique vi* dediſſe ſe admirandum puer adhuc FRACASTORIUS dicitur FRANC. POLÆ *in Elog. Frac. l. c.* Neutrum horum a Poeta & Medico futuro, tali nempe, qui nulli diceretur ſecundus, abeſſe poterat. Plura de inſitis & innatis FRACASTORIO virtutibus præſtantiſſimis, quibus tam animus ejus, quam ingenium fuit exornatum, infra aptiore loco commemorabimus.

(b) Lucem amat recta & præclara indoles, &, ut poſita ante oculos hominum magis ipſa exſplendeſcat, quam quidem poteſt celeriter, intimis animi ſe proripit penetralibus. De FRACASTORIO refert *Autor Vitæ ejus l. c. ut primum per ætatem in luce hominum verſari coeperit, tale de ſe ſpecimen apud omnes præbuiſſe* eum, *ut jam tum ex eo adhuc puero, qui poſtea vir futurus eſſet, facile homines conjectarentur.* Feliciſſima conjectatio, poſtquam res ipſa docuit, majora HIERONYMUM cum annis cepiſſe ingenii & virtutis incrementa. Scimus autem, ſæpius contingere, ut conjectura aberrent illi longiſſime, qui maxima quæque in pueris blandiente ſpe præcipiunt, & omnem fatis in florentiſſima ingenia poteſtatem negant. Vidiſſe me eorum haud paucos memini, qui, cum gaudia olim & cura unica parentum dicerentur, jam, progrediente ætate, acie mentis hebetiores obtuſioresque facti, omnem parentum miſere fruſtrati ſunt expectationem. Vellem, *Autor vitæ Frac.* paulo verboſior fuiſſet in enarrandis iis, quæ virili digna ætate a puero FRACASTORIO vel dicta noverat vel geſta, cumque ſpecimen quoddam memoret ab eo editum, majorem a nobis ſcriptor eximius initurus videbatur gratiam, ſi, quale illud cujusque fuerit generis, verbis indicaſſet prolixioribus.

(c) De cura *Pauli Philippi Fracaſtorii* in educatione filii *Hieronymi* adhibita optima quæque exiſtimare nos jubet *Autor Vitæ Frac.* dum *liberaliter a patre educatum* dicit Italum noſtrum. Et luculentum ſuppetit teſtimonium FRANC. POLÆ,

 qui

qui *opulentas politiorum omnium literarum opes* ab adoleſcente FRACASTORIO *conquiſitas* docet in *Elog. Frac. l. c.* Fortunatum parentem, cui filius contigit virtutis gloriæque cupidiſſimus, & honeſtiſſima parentis conſilia labore ſtudioque ſuo adjuvans. Non ita cunctos amant Superi, neque ex omni terrarum parte tam peritus quisquam eſt artifex, qui ex rudi & informi ſtipite quoddam ſciat Deorum ſimulacrum effingere. Præcipuum hoc naturæ opus eſt, quam excolere licet arte humana, neutiquam formare & divinitus arceſſere.

(d) Non meis ſchola Patavina indiget præconiis, nullo non tempore habita in præclariſſimis. Laudes cum reliquis Italiæ Academiis multas communes habet, multas proprias ſibi & peculiares. Turpe peregrino ex Italia redeunti, non vidiſſe Patavium. Neque, commigraſſe illuc, quenquam poenituit. Habent, quæ admirentur, oculi, habet, quibus delectetur, animus. Scientiarum omnium merito domicilium, aut, ſi mavis, officinam dicas. Tantus hic doctiſſimorum virorum conſeſſus, quantus neſcio an usquam per Italiam. In eam delatum te terram credas, quæ habitanda novem ſororibus contigit. Circumſpicienti omnia Muſæ obvenient, ſtantes ad ſacrum T. LIVII tumulum, & oſſa viri conſecrantes æternitati. Ubi longius pedem promoveris, in vetuſtiſſima videberis tibi tempora rejectus. Adeo nihil obverſabitur oculis, quod non antiquitatis præ ſe ferat imaginem. Quodcunque doctrinæ genus ſectere, erit, qui ducem ſe tibi offerat, erit, a quo expectare omnia poſſis. Vix aliquis clariſſimorum doctrinæ gloria, quos protulit hæc civitas, virorum numerum inierit. Laudabile tamen opus aggreſſi ſunt, qui principes eorum ac præcipuos ſcriptis ſunt perſecuti, & egregia eorum de literis merita poſteritati commendarunt. Præſtita hæc opera a BERNARDINO SCARDEONIO in libro *de Antiquitatibus Patavii & claris civibus Patavinis, Baſileæ A. 1569* edito, & in alio *de*

Se-

Sepulchris exterorum Patavii jacentium, adjecto J. G. GRÆVII *Theſ. Antiqu. Ital. T. VI. P. 2*, JO. CAVACCIA & JAC. FABARELLA in *Elogiis illuſtrium Patavinorum*, quæ prodiere *Patavii A. 1670*, CAROLO PATINO in *Lyceo Patavino*, *Patav. 1682*, OCTAV. FERRARIO in *Orat. de Laudibus Patavii*, quæ habetur in J. G. GRÆVII *Theſ. Ant. It. T. VI. P. 2*, SERTORIO URSATO in *Monumentis Patavinis*, *Patav. 1652*, & eodem in *Iſtoria di Padoua*, *Patav. 1678*, ANT. RICCOBONO in Comment. *de Gymnaſio Patavino*, *Patav. 1598*, JAC. PHIL. TOMASSINO in *Gymnaſio Patavino*, *Utini A. 1654*, ANGELO PORTENARIO in Opere *della felicità di Padoua*, *Patav. 1623*, JAC. SALOMONIO in *Agri Patavini Inſcriptionibus ſacris & profanis*, *Patav. A. 1696*, & in *Urbis Patavinæ Inſcriptionibus*, *Patav. 1701*, & NIC. COMNENO PAPADOPOLO in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini, cum auctario de claris Profeſſoribus & alumnis ejusdem*, *Venet. 1726;* ut taceam eos, qui vel eruditorum cujuscunque gentis elogia compilarunt, vel ſpeciatim ſingulorum ex doctis Patavii civibus vitas expoſuere; quali labore perfunctus eſt JAC. PHIL. TOMASSINUS editis ſingularibus rerum geſtarum T. LIVII, LAUR. PIGNORII, M. ANTONII PEREGRINI, & GUIDI PANCIROLI hiſtoriis. Quæ Gymnaſii Patavini inſtituta, quæ leges ſint & conſuetudines, abunde nos docent *Inſtituta & privilegia Univerſitati Patavinæ* (ab A. 1260 ad 1640) *a Senatu Veneto conceſſa*, quæ ab Autore Anonymo vulgata ſunt *Patavii A. 1645*.

(e) Cum Patavinam urbem patriæ ſuæ tam vicinam noſſet, (utraque enim Venetis paret,) non erat, cur longius pedem proferret FRACASTORIUS, & aliam ſtudiorum ſuorum ſedem quæreret. Huc igitur adoleſcens adhuc, arbitratu patris, commigravit, & ab ore celeberrimorum, qui illo tempore Gymnaſium Patavinum fama ſua illuſtrabant, virorum pependit. Teſtes habeo FRANC. POLAM in *Elog. Frac. l. c* GERH. JO. VOSSIUM *de Artium ac ſcientiarum natura lib. 3. de Ma-*

Matheſi Cap. 64. p. 189 Opp. ejus edit. Amſtel. ANT. TEISSIERIUM in *Elog. des hom. ſav. p. 173,* *Autorem Diar. lit. Journal Litteraire T. VII. P. I. p. 48,* & *Autorem Anon. Vitæ Frac. l. c.* Non ſatis certo ſcio, quot annos Patavii commoratus ſit Noſter; nihil enim de eo apud ſcriptores memoriæ proditum invenio. Tantum ſcio, non omnem ei ſtudiorum curſum Patavii fuiſſe abſolutum, ob inopinatum hoſtium adventum, qui Muſas Patavinas crudeliter tractarunt, & antiquo ſuo deturbarunt domicilio. Pluribus ea de re agemus §. *ſeq.*

(f) PETRUS POMPONATIUS, civis Mantuanus, vir puſilli corporis, ſed ingentis animi; doctrina ſubtiliſſimus acutiſſimusque, Philoſophorum Peripateticorum ſuo tempore princeps dici meruit. JULIO CÆS. VANINO, diſcipulo ſuo, homini famoſiſſimo; vocatur *Mediolanenſium Philoſophorum Deus, & divinus præceptor* in *Dialogo de Arcanis naturæ reginæ Deæque mortalium, Dial. 48. p. 319,* & pluribus in locis. De nomine ejus quæ referuntur in *Lex. Erud. German. T. II. p. 623. ed. nov.* quaſi ſcilicet illud, abjecto *Bernhardi* nomine gentilitio, adſciverit latinæ, quam amabat, compoſitionis ergo, accenſenda ſunt fabulis. Sub finem enim *libri V de Fato & libero arbitrio,* ab ipſo editi, nomen ipſe ſuum ſubſcripſit hunc in modum: *Ego Petrus, filius Joannis Nicolai Pomponatii.* Philoſophiam Patavii primum, poſtea Bononiæ incredibili cum audientium plauſu & admiratione docuit. Hic, ſi quisquam alius, non vivus tantum, ſed poſt mortem etiam fata expertus eſt iniquiſſima, & fortunæ turpiſſimum factus eſt ludibrium. Fama de ſingulari præſtantiſſimaque ejus doctrina late jam diſſeminata, & magis in dies eflloreſcente, invidorum obtrectatorumque accrevit numerus, & in exiſtimationem viri optimi machinæ parari coeperunt innumerabiles. Multis inprimis calumniandi materiam præbuit inſons ille, quem edidit, *de Immortalitate animæ* libellus, cujus cum eo ſpectaret argumentum, male in probanda animæ immortalitate verſatum fuiſſe

ARI-

ARISTOTELEM, fuerunt ſtatim, qui, unum hoc agi a POMPONATIO, ut brutis nos ſimiles confingeret, mentemque noſtram morti obnoxiam evinceret, magna animorum contentione clamitarent. Dici vix poteſt, in quantum ea res honoris, opinionis, quin & vitæ diſcrimen POMPONATIUM adduxerit. Monachorum, quos capitales inprimis hoſtes habebat, factum dicitur inſidiis, ut & liber pernicioſus & autor ejus ad rogum condemnaretur, quem ut effugeret, POMPONATIO labore multo, multa prudentia opus fuit. Neque tales defuere ei hoſtes, qui ſcriptis in eum inſurgerent, & argumentis confutare eum laborarent philoſophicis. Atque hos ipſos parum in oppugnando moderatos expertus eſt. Multi *Hæreticum* nuncuparunt; plurimi deformiſſimo nomine *Atheum.* Quin fuit quidam corrupti ſenſus rabula, JO. GEORG. GODELMANNUS, natione Germanus, qui *Magorum*, proh impudentiam! numero accenſuit Noſtrum *lib. 1. de Magis. Cap. 8*, merito ideo deriſus a P. BÆLIO in *Dict. Hiſt. & Crit. T. III. p. 2354. not. k.* Et nos ridebimus illum Magorum elegantiſſimum opificem, egregie inſanum. Sed ita tempora, ita mores fuere. Cauſam POMPONATII noſtris temporibus ita peroratam exiſtimamus, ut defenſore amplius non opus habeat. Odio plurimum in illa controverſia & animorum acerbitati datum, prudentiores facile intelligunt. Præclare inprimis de manibus POMPONATII meritus eſt P. BÆLIUS *l. c. a p. 2349 ad p. 2355*, ubi cum maximo doctrinæ apparatu famam POMPONATII ab obtrectatorum injuriis vindicat, ſingulisque rigidiſſimum, ut merebantur, jus dicit. Repetitam BÆLII defenſionem legimus in JO. GOTTLIEB OLEARII *Diſſ. de Pomponatio*, quæ *Jenæ A. 1709* lucem aſpexit, & luculento nummum præſertim, in memoriam POMPONATII cuſum, Commentario illuſtrat.

(g) Unum hunc FRACASTORII præceptorem memorat *Autor Anon. Vitæ Frac. l. c. p.* 2, dignus, cui vel in rebus leviſſimis maxima habeatur fides. Addo huic teſtem GERH. JO. VOS-

SIUM *de Art. ac ſcient. nat. lib. 3. de Matheſi Cap. 64. p. m. 189.* Neque dubium eſſe poteſt, ejus inprimis ſcholas frequentatas a FRACASTORIO, quem communem illo tempore juventus Patavina venerabatur Præceptorem. Miror, JO. GOTTL. OLEARIUM, cum alios multos POMPONATII diſcipulos, non ita illuſtres ſane, THEOPHILUM FOLENGUM, Mantuanum, HERCULEM GONZAGAM, Cardinalem, PAULUM JOVIUM, Epiſcopum Nucerinum, JUL. CÆS. VANINUM, ſcriptis ſatisque notiſſimum, HELIDÆUM, Medicum Forolivienſem, CASPAREM CONTARENUM, Cardinalem, & SIMONEM PORTIUM, Neapolitanum, nominaret in Diſſ. *cit.* §. 7. *p. 10. ſeq.* ne verbo quidem mentionem injeciſſe FRACASTORII noſtri, doctrinæ & virtutis fama illis haudquaquam inferioris. Locum in illis magis, quam alius quisquam, merebatur Noſter, cum teſte *Autore Vit. Frac. l. c.* non levi induſtria & exiguo tempore, ſed *per multos annos philoſophicis ſtudiis, hoc uſus præceptore, operam dederit.* Doctrinas tamen ejus non univerſas amplexus eſt; ſed fuit ipſe ex eorum numero, quibus liber POMPONATII *de Immortalitate animæ* veneni quid alere, & reprehenſione dignus videbatur. Unde provectiori jam ætate calamum ipſe vertiſſe in præceptorem ſuum, & *inſana non minus quam impia ejus placita* Dialogo, quem *Fracaſtorium ſive de Anima* inſcripſit, impugnaſſe dicitur *Autori Vitæ Frac. l. c. p. 8.* Sed levem admodum mitemque ſe geſſit Adverſarium. Etenim ſcriptus eſt libellus ille non ſolum poſt mortem demum POMPONATII, ſed ita etiam ſcriptus eſt, ut ne ſemel quidem POMPONATII in eo nomen memoretur, neque occultis etiam dicteriis famæ ejus ſit inſultatum. Diſputatur hic de animæ humanæ indole, ejusque immortalitas argumentis fortiſſimis ita confirmatur, ut, qui neſciat tentatum aliquid a POMPONATIO contra ARISTOTELIS de animæ immortalitate ſententiam, is, nihil eorum pertinere ad Italorum hunc Philoſophum, dejeraverit. Unde

&

& factum puto, ut nec P. BÆLIUS *l. c.* nec J. G. OLEARIUS *l. c.* quamvis ſatis copioſi eſſent in percenſendis POMPONATII adverſariis, &, quæ paſſim ab eruditis ad deterendam ejus exiſtimationem in vulgus ſparſa ſunt, diligenter commemorarent, ullam libelli Fracaſtoriani injecerint mentionem. Minus igitur periculi POMPONATIO a ſcriptis FRACASTORII, quam ab illis CASP. CONTARENI, diſcipuli itidem ſui, imminebat, qui etſi ipſe in refutandis POMPONATII doctrinis ſummam moderationem adhibuit, primus tamen fuit, qui claſſicum contra præceptorem ſuum caneret, & in Atheiſmi eum apud alios ſuſpicionem adduceret. Fuſius ea ediſſerere, nec hujus loci, nec noſtri eſt inſtituti.

(h) Matheſin præ aliis omnibus diſciplinis ab ineunte ætate impenſe amavit FRACASTORIUS, ſublimitatem divinitatemque hujus ſcientiæ habens exploratiſſimam. Aſtronomiam inprimis, præcipuam Matheſeos partem, tam ſtudioſe ſectatus eſt, ut nullum præterire tempus paſſus ſit, quod non aſtrorum indagandis curſibus, & cunctis cæli perluſtrandis partibus impenderit. Hinc & Patavii totus in his ſtudiis verſatus, abditiſſimos eorum receſſus ſcrutatus eſt, teſte FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* & *Autore Vitæ Frac. p. 2.* Quem vero in his literis ſibi ducem elegerit, ignorare nos jubent ſcriptores. Non enim a POMPONATIO hauſiſſe videtur illud doctrinæ genus, propterea quod hujus in Matheſin merita exigua exſtent, aut prorſus nulla. Malim credere, propria induſtria & frequenti ſiderum contemplatione aſſiduaque meditatione hoc, quicquid habuit mathematicæ cognitionis, exquiſiti ingenii juveni fuiſſe comparatum.

(i) Laudabile iniit conſilium FRACASTORIUS, cum Philoſophia & Matheſi, ſcientiis parum quæſtuoſis, Medicinam conjungendi, tanquam *artem*, ut PLINIO vocatur in *Hiſt. Nat. lib. 29. cap. 1, fructuoſiſſimam.* Etſi enim a propoſito deterrere eum potuiſſet idem PLINIUS, cujus integrum *Caput 24. lib.*

22 *Hiſt. Nat.* & *Cap. 1. lib.* 24 agunt de vanitate & nefariis Medicorum artibus, tanta etiam accreverit circulatorum Empiricorumque multitudo, ut jam turpiſſime dehoneſtata ſit hac fæce hominum, miſeramque præ ſe faciem ferat ars nobiliſſima; certus tamen, commune hoc eſſe omnium ſcientiarum fatum, ut inſidias parare earum dignitati laborent peſſimi quique, dandam ſibi operam exiſtimavit, ut Medicorum ordinem, honore omni digniſſimum, ab injuriis obtrectatorum vindicaret, & priſco honori ſuo reſtitueret. Non igitur, ut ſolent illi, quos equus, ſimiolus, & tintinnabula in veſte Medicos faciunt, unice de morborum quorundam & unguentorum pyxidumque nominibus laboravit, ſed probe perſpectis ſingulis, quæ in Medico ineſſe debent, virtutibus, non cuilibet ex vulgo datis, ſpatioſiſſimum Medicinæ campum magno animo maximaque ingreſſus eſt ingenii ſui fiducia. Quem curſum ut feliciter conficeret, tinctus jam probe iis literis, quæ ad altiores diſciplinas iter pandunt, ad ſcrutanda examinandaque Medicorum veterum præcepta ſe totum convertit, & tantos brevi tempore in his ſtudiis progreſſus fecit, ut Medicorum, qui artis amplificandæ cauſa in Gymnaſio Patavino convenire quotidie, reſque dubias in diſceptationem vocare ſolebant, intereſſet colloquiis, &, quod tam teneræ ætatis juveni vix antehac contigerat, cathedram conſcendendi, vireſque ingenii docendo ac diſputando periclitandi facultatem nanciſceretur. Ita enim interpretor verba *Autoris Anon. Vitæ Frac. l. c. p. 2: Tanto animi ardore, atque alacritate, genio ſuadente, ſe totum ad Medicinam convertit, tanta porro contentione in Gymnaſio per quotidianas Medicorum diſceptationes ſeſe exercuit, ut doctores ipſi atque æqualis juventus, eum ad omnia natum eſſe, divino quodam conſilio, faterentur, illique maximos ſuggeſtus honores tunc detulerint, quod Patavii ante illum nemini, niſi maturo in ſtudiis, & perfectæ demum ætatis viro contigerat.* Conf. etiam FRANC. POLA *l. c.* De præceptoribus vero, quibus uſus eſt in arte medica, nihil certo ſatis com-

per-

pertum habeo; clariſſimos tamen in arte ſua doctiſſimosque fuiſſe, teſtatur fama & doctrina diſcipuli conſummatiſſima. Facillima etiam conjectura aſſequor, inſtitutione uſum inprimis fuiſſe HIERONYMI TURRIANI, Medici nobiliſſimi, qui ætate illa in Gymnaſio Patavino maxima cum laude docuit Medicinam, & in tanta fuiſſe admiratione perhibetur, ut rerum omnium notitia PYTHAGORÆ, maxima mentis vi DEMOCRITO & HIPPOCRATI, ordine HEROPHILO, & experientia GALENO nihil diceretur inferior, teſte ANDR. CHIOCCO in libro *de Colleg. Veron. Medicis. ſub Turriano.* Hujus enim *exactæ doctrinæ & auctoritatis viri* hoſpitio & convictu uſum Patavii, filiosque ejus familiariter complexum eſſe FRACASTORIUM, refert *Autor Vitæ Frac. l. c*; unde vix dubium eſſe poteſt, inſtitutionis quoque & doctrinæ tanti viri factum fuiſſe participem.

(k) Multum facit ad acuendam induſtriam æmulatio, talis nempe, quæ invidiæ odiique expers, juvenes æquales ad animoſum de gloriæ laudisque palma certamen concitat, animosque eorum vehementiſſima honoris & doctrinæ cupiditate incendit. Eadem virtutis & laborum incitamenta FRACASTORIUS habuit, in communi Italæ juventutis palæſtra conſtitutus, ubi nunquam deerat, quem æmulari ſtudio poſſet & induſtria. Abundabat ſchola Patavina illo tempore lectiſſimis ex omni Italia adoleſcentibus, plerisque ad magnam ſpem patriæ natis, & tam generis nobilitate, quam flore ingenii commendatiſſimis. Delegit ſibi nonnullos ex his ſtudiorum ſocios & ſodales FRACASTORIUS, &, arctiſſimo cum iis contracto amicitiæ vinculo, ad proſequendum impigre literarum negotium firmiſſimo eos foedere obſtrinxit. Præcipui eorum, & qui maximam ſibi inſequenti tempore nominis famam peperere, fuerunt CASPAR CONTARENUS, quem paulo ante dixi POMPONATII diſcipulum, ad ſummum poſtea Purpurati faſtigium evectus, MARCUS ANTONIUS CONTARENUS, & AN-

DREAS NAUGERIUS, ille publicorum munerum ſplendore conſpicuus, hic Orator, Poeta, & Hiſtoricus excellentiſſimus, uterque Veneto Patriciorum ordine oriundus, & graviſſimis admotus legationibus, JO. JAC. BARDULONUS, ſummæ celebritatis Philoſophus, POMPONIUS & LUCAS GAURICI, fratres Germani, hic Aſtrologiæ, ille rerum antiquarum peritia inſtructiſſimus, & JO. BAPTISTA RHAMNUSIUS, Reipublicæ Venetæ inſigne decus, & Decemvirorum collegio Senatus Veneti a Secretis, vir in Græcis literis, atque hiſtoriarum & Coſmographiæ ſtudiis verſatiſſimus. Quibus addi præ reliquis merentur, quos deamavit inprimis Noſter, M. ANTONIUS, JO. BAPTISTA, & RHAYMUNDUS, TURRIANI, fratres ingenio & morum honeſtate inter ſe ſimillimi, patris HIERONYMI, cujus ſub *not. (i) hujus* §. mentionem feci, filii florentiſſimi, municipes FRACASTORII, quibuscum quotidiana fere non Patavii ſolum, ob egregiam parentis in re medica ſcientiam, ſed poſtea etiam Veronæ, ob æqualem ſtudiorum rationem, FRACASTORIO interceſſit conſuetudo. Sufficiat, nominaſſe potiſſimos; reliqui enim omnes, quicunque fuerint, aut non tam arcte conjuncti Italo noſtro, aut eruditionis fuerunt & fortunæ tenuioris. Eorum, quæ jam protuli, teſtem habeo GERH. JO. VOSSIUM *de Art. ac ſcient. nat. lib. 3. de Matheſi Cap. 64. p. m. 189*, & *Autorem Anon. Vitæ Frac. l. c. p. 2.* Speciatim de amicis, quos quoquo vitæ ſuæ tempore habuit HIERONYMUS, plura expromam alio in loco. Horum enim fuerunt longe plures, iidemque exiſtimatione multo illuſtriores.

§. III.

Coeptum Patavii ſtudiorum curſum ſubito ac præter ſpem intercepit inexpectatus de morte patris nuncius, (a) & belli, quod Venetæ Reipu-

bli-

blicæ ab armis Maximiliani Imperatoris imminebat, & Patavinæ inprimis civitati capitale minabatur exitium, repentinus horror. (b) Jam igitur, dum in eo eſſet, ut Veronam reverteretur, & paternam adiret hæreditatem, opportuno tempore fama de optimæ ſpei juvene perlata eſt ad Bartholomæum Livianum, ducem Venetorum militum fortiſſimum, heroa toga non minus, quam ſago illuſtriſſimum, Muſarum etiam communem quaſi parentem & defenſorem, (c) qui, cognita Fracaſtorii erecta & præclara indole, liberaliter eum & mira prorſus comitate excepit, autorque ei fuit, ut in Foro-Julienſem Academiam, recens conditam, (d) expoliendæ amplificandæque doctrinæ cauſa, ſe reciperet. (e) Lubens accepit conditionem Fracaſtorius, nutumque fatorum ſecutus, in illa literarum officina per aliquod tempus conſedit, ſuisque eam ſtudiis & exquiſitis ingenii monumentis maximopere nobilitavit. (f) Inde novo hoſtium terrore Livianum ducem in caſtra vocante, cum arctiſſimo religionis vinculo adſtrictum ſe huic noſſet, ſeque totum in clientelam ejus contuliſſet, eunti in bellum comitem ſe ſociumque dedit, præliisque multis, quæ ſub ejus auſpiciis ſunt edita, aſſiduus interfuit ſpectator. (g) At, triſtiſſima tandem facta rerum commutatione, & fortuna ſe ad partes Gallorum inclinante, cum fuſas in campo Adduano profligatasque Veneto-

netorum copias, & captum manu hoſtili Imperatorem vidiſſet, (h) omni jam ſpe conſilioque deſtitutus, ad lares patrios, diuturnis bellorum tumultibus miſere afflictos, ſero nimis rediit, & barbara ubique hoſtilium armorum deprehendit veſtigia. (i)

(a) Memorat *Autor Vitæ Frac. p.* 2, FRACASTORIO, dum in eo eſſet, ut reditum pararet in patriam, Muſis Patavinis hoſtili impetu mirum in modum perturbatis, inopportuno tempore nunciatam fuiſſe mortem patris, *Pauli Philippi*, in cujus fide & conſilio omnem fortunæ ſuæ ſpem Noſter habebat repoſitam. Si recte computamus annos, factum hoc eo tempore, quo adoleſcentiæ terminos fere jam transgreſſus erat Noſter, & annum forte vigeſimum quartum vivendo compleverat. Videbatur tunc ipſe ſatis ſibi ſufficere, & educationis paternæ fructus jam tantos perceperat, quanti filio a parente poſſunt expectari.

(b) Notiſſimæ ſunt turbæ, circa annum 1507 in Venetorum republica concitatæ armis Maximiliani I, qui magno cum exercitu ultum ibat injurias, in bello, nuper de Ducatu Mediolanenſi cum Gallis geſto, ſibi a Venetis illatas. Ubi cum in tantas anguſtias adducerentur res Venetorum, ut Imperatoris ſe totos permitterent arbitrio, & oppidorum Patavii, Placentiæ, & Veronæ ſponte ei copiam facerent; Patavium inprimis vehementiſſimum militum Germanorum impetum ſuſtinuit, ædes ejus miſere devaſtatæ, & luctuoſiſſima per urbem univerſam ſtrages edita. Neque ipſi Gymnaſio pepercit hoſtium furor, ſed, diruto illo ac penitus everſo, docentes pariter ac diſcentes exules ire juſſi, aliis in terris quæſivere domicilium. Cujus rei teſtes habeo ſcriptores, quotquot illorum temporum res geſtas luculentis Commentariis complexi ſunt. Literis

illa

illa ætate operam dabat Patavii FRACASTORIUS; unde factum, ut ipſe in calamitatis hujus communionem veniret, & ſtudiorum ſuorum curſum hoſtili clamore interpellatum ſentiret. Ceſſit igitur fatis, & cum reliquis æqualibus ſuis ſtudiorumque ſociis in fugam ſe recepit, mitiores alibi Deos experturus; teſte *Autore Vitæ Frac. l. c.* FR. POLA in *Elog. Frac. l. c.* & ANT. TEISSIERIO in *Elog. T. I. p. 173.*

(c) Celebratiſſimum ad hunc usque diem apud Venetos eſt nomen Liviani, ducis fortiſſimi, qui præliis multis contra Gallos, Germanos, aliosque hoſtes victor exceſſit, ſæpiusque periclitantem ac proſtratam fere Venetorum rempublicam erexit virtute ſua, & in florem priſtinum reſtituit. Nec quicquam officere gloriæ ejus poteſt, quod dubia interdum quin adverſa plane fortuna dimicavit; id enim cum illuſtriſſimis omnis ævi imperatoribus commune habuit. Nobis tanto ſanctior venerabiliorque ejus eſſe memoria debet, quanto proniore affectu Muſas etiam harumque cultores mediis in armis proſecutus dicitur. Verſatus enim ipſe eſt familiariſſime cum literis, & literatorum cauſam, quoad vixit, ſibi habuit commendatiſſimam. Unde merito a FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* vocatur *non minus diligens Phoebi cultor, quam fervidus & præceps Martis alumnus*, & ab *Aut. Vit. Frac. l. c.* *Muſarum liberalis hoſpes & ingeniorum cenſor longe graviſſimus.* Præclarum tanti Ducis encomium, quod neſcio an multis, qui in armis verſantur continuo, eodem jure ſit tribuendum. Hiſtoriam maximi hujus militis, virtutumque ejus & rerum glorioſiſſime geſtarum expoſitam vide in ALIPR. CAPRIOLI Opere *di Cento Capitani illuſtri p. 88*, & paſſim apud ſcriptores rerum Venetarum.

(d) Foro-Julienſis civitas, quæ Ducibus ſuis olim paruit, etſi forte dignitate & ſplendore ſuo comparanda non ſit cum Patavina aut ipſa Veneta, & noſtris inprimis temporibus omne perdiderit nomen ſuum, habuit tamen & ipſa ſuas olim

laudes, belliſque variis & civibus clariſſimis innotuit. Hiſtoriam urbis & Ducatus Foro-Julienſis dederunt nobis PALLADIUS DE OLIVIS *libris XI rerum Foro-Julienſium ab O. C. ad A. 452, Utini 1659*, & HERCULES PARTHENOPÆUS in *Deſcrittione della patria del Friuli, Utini 1604.* Pertinet huc etiam FAUSTINI MOISESSI *Iſtoria della ultima guerra del Friuli. Venet. 1623.* Rem literariam urbis hujus & viros doctos, quos genuit, ſingulari libro, *Bibliotheca Foro-Julienſis* inſcripto, perſequi in animo habuit S. Rev. JUST. FONTANINUS, Epiſcopus Ancyreanus, ſicut docemur ex ejus *Aminta di Torquato Taſſo difeſo Cap. XI. p. 281*; nec dubium eſt, gratiſſimam Italis operam præſtiturum, ſi ſperatum diu & avide expectatum Opus, eadem ſcilicet, qua ſcripta ejus reliqua, ornatum doctrina, in lucem tandem prodire juberet. Pomoeriis urbis proxime adjacet arx amoeniſſima, quam vernaculo ſermone *Pordenone*, Latino *Portum Naonis* vocant, ubi ſub initium Seculi XVI a Liviano, cui donaverant arcem Veneti ob reportatam in agro Cadurino de Maximiliani copiis victoriam, ut refert ALIPR. CAPRIOLUS *l. c.* inſtituta eſt Academia a vicina civitate Foro-Julienſis appellata. Parum de ea memoriæ prodidere ſcriptores; neque ſatis ſcio, utrum quædam poſtea ejus fuerint incrementa, & qua hodie laude, quibus doctoribus ſit conſpicua.

(e) Qua occaſione, quo conciliatore in benevolentiam Liviani Ducis intraverit FRACASTORIUS, ignota res eſt. Non dubito tamen, politiſſimo ejus ingenio & conſuetudine ſuaviſſima eo permotum Livianum, ut, primo ſtatim hominis aſpectu & colloquio, digniſſimum judicaret, cujus ſalutem fortunaſque omnes tuendas ſuſciperet. Profugum igitur Patavio, & exules ſecum Muſas gerentem, aſcivit in numerum comitum & amicorum ſuorum, & ſedato paulisper armorum ſtrepitu, in Academiam Foro-Julienſem ſecum abduxit, ut afferret aliquid ad florem illius ſcholæ, & Hygiææ ſacra curare

per-

pergeret diligentiſſime. Vix definire certo auſim, Doctorum, an diſcentium hic locum obtinuerit. Obſcura ſunt, quæ ea de re prodit *Autor Vitæ Frac. l. c.* *Honeſtiſſimis a Liviano duce conditionibus accitum in Academiam Foro-Julienſem, ad Portum Naonem inſtitutam*, ait, ſed quid ibi negotii datum ſit Noſtro, prorſus tacet. Nec plura a FRANC. POLA reſciſcas, qui *l. c.* ſatis habuit, nos docuiſſe, in Academiis adjunctum Liviano comitem fuiſſe FRACASTORIUM. Quocunque te conjectura trahat; ſuſpicandi alia quæque non deerit materia. *Honeſtiſſimæ conditiones*, quas memorat *Autor Vit. Fr.* indicium aliquod, quamvis admodum exiguum, facere poſſunt, FRACASTORIO munus Profeſſoris contigiſſe. Eos enim, qui ſtudiorum cauſa in Academias ſe conferunt, pretio propoſito ad diſcendum invitari, rara admodum res eſt; niſi forte ita interpretanda hæc verba exiſtimes, neceſſaria vitæ ſubſidia & ſtudiorum ſumtus FRACASTORIO a Liviano Duce liberaliter fuiſſe ſubminiſtratos. Ætas certe FRACASTORII tum ſatis matura fuit obeundo Profeſſoris muneri; dixi enim *ſub not. (a) hujus §.* annos, cum hæc gererentur, habuiſſe FRACASTORIUM plus quam viginti quatuor. At videtur illud etiam creditu admodum difficile, a diſcentium ſubſelliis ad docentium ſtatim cathedras evocatum fuiſſe FRACASTORIUM. Nondum abſolverat, ut videtur, ſtudiorum curſum, nec diſceſſurus Patavio fuiſſet, niſi inſtantis hoſtis metus exeundi urbe neceſſitatem ei impoſuiſſet. Conſtat tamen, & dictum a me paulo ante eſt, fuiſſe jam Patavii hunc FRACASTORIO honorem tributum, ut cathedram interdum conſcendere, & in publico Medicorum conſeſſu liceret ipſi doctrinæ ſuæ & peritiæ in arte medica edere ſpecimina. Quicquid hujus rei ſit, paucos annos in hac civitate commoratus eſt, ut ex ſequentibus pateſcet. Uſus hic eſt jucunda conſuetudine & contubernio excellentiſſimorum Poetarum, JO. COTTÆ, quem *Andream* dicit errore manifeſto ANT. TEISSIERIUS in *Elog. T. I. p. 173*, & AN-

DREÆ NAUGERII, viri doctiſſimi, quos & annorum æqualitas & ſtudiorum eadem ratio ipſi junxerat. Vid. *Autor Vitæ Frac. l. c.* . Neque de his ipſis compertum habeo, an publicis in hac Academia muneribus fuerint perfuncti. NAUGERIUS jam Patavii verſatus cum Noſtro fuerat familiarius, & amicitiæ cauſa hanc in urbem FRACASTORIUM videtur ſecutus. COTTAM vero paucis annis poſt Viterbii conſtat ætate florentiſſima exſtinctum. Conf. TEISSIER. *l. c.*

(f) Vix binos annos continuos in Foro-Julienſi Academia domicilium habuit Noſter, ſi ab excidio Patavii, quod contigit anno 1507, ad Adduanam usque Venetorum cladem, quæ anno 1509 edita memoratur ſcriptoribus, egiſſe hic dicendus ſit. Egregium tamen exiguo hoc temporis ſpatio futuræ gloriæ jecit fundamentum, & frequenti venuſtaque carminum compoſitione jam tum miram ſibi hominum gratiam conciliavit. Ita enim *Autor Vitæ Frac. l. c: Hic cum aliquandiu verſatus eſſet, carminumque, quæ ab eo quotidie, ex nobili ſemper occaſione ſummæ dignitatis emanabant, auctoritate univerſæ Italiæ carus ac jucundus eſſe coepiſſet, illius ſcripta exinde publico ſemper excepta plauſu, reliquorum ad hunc diem omnium famam oppreſſerunt.*

(g) FRACASTORIUM, relictis Foro-Julienſibus Muſis, Liviano Duci multis in bellis ſocium ſe adjunxiſſe, &, ubicunque locorum ille caſtra haberet, ſemper convictu ejus uſum, ſcriptores teſtantur plurimi, ut FRANC. POLA *l. c.* JO. IMPERIALIS in *Muſeo Hiſtor. p. 17*, ANT. TEISSIERIUS *l. c.* & *Autor Vitæ Frac. l. c.* Quæ vero fuerint hæc bella, neque memoratum ab illis, neque ipſe conjicere ſatis poſſum. Contra Gallos certe geſta non fuerunt; cum his enim primum ad urbem Adduam commiſſum eſt prælium, idque Liviano ſtatim fuit fatale. Cum Maximiliani igitur copiis illa geſſerit Livianus, atque hæc ipſa exigui fuerint momenti, neceſſe eſt. Præcipua enim cum illis facta eſt pugna in

agro

agro Cadurino, eo ſcilicet tempore, quo inauditum adhuc Foro-Julienſis Academiæ nomen erat, utpote fundatæ a Liviano Duce, qui, poſt ſuperatum illo prælio Imperatoris exercitum, Portum Naonem dono a Venetis acceperat. Si qua igitur eo ex tempore contra Maximilianum bello tentata fuerunt a Liviano, his ipſis ſocium accitum fuiſſe FRACASTORIUM, credibile eſt. Nolim tamen, exiſtimes, armis accinctum ſtetiſſe eum in acie, aut præliis interfuiſſe commilitonem (id enim ſuſpicari forte poſſis ex ſcriptorum, quos adduxi, verbis); ſed eo potius animo iviſſe credo comitem, ut vel amabili conſuetudine ſua & doctis jucundisque ſermonibus animum Liviani delectaret in caſtris, vel valetudinem ejus ſibi haberet commendatam, & ægrotanti forte idoneis ac opportunis præſto eſſet conſiliis. Ita enim fieri perſæpe aſſolet, ut, qui artis medicæ periti ſunt, hi, pretio conducti, milites comitentur in bellum, & contra morborum injurias omni modo defendant. Id quod de FRACASTORIO hoc magis videtur veriſimile, quo certius conſtat, hunc ab initio ſtatim ſolo ingenii & doctrinæ nomine Liviano, Muſarum amantiſſimo, in pretio ſingulari maximisque fuiſſe deliciis.

(h) Vix reſpiraverat paululum poſitis armis Venetorum respublica, & repreſſi ſatis videbantur Maximiliani impetus, cum novum ſubito Venetis terrorem attulit triſtiſſimus Gallorum adventus, qui funeſta quæque Venetis & capitalem ruinam minitantes, gentem potentiſſimam inſtructiſſimis equitum peditumque turmis invaſere. Eleganter de miſera illorum temporum conditione ipſe FRACASTORIUS in *Syphilide lib. 1, vſ. 460. ſeq:*

Tempeſtate illa Auſoniam Rex Gallus opimam
Vertebat bello, & Ligurem ditione premebat.
Parte alia Cæſar ferro ſuperabat, & igni
Euganeos, placidumque Silim, Carnamque rebellem:
Et totum luctus Latium, moerorque tenebat.

 Quo

Quo ſpectant etiam, quæ inter lachrymas & ſuſpiria canit in *Elegia in obitum Ant. Turriani*:

O nimium miſeri nos, & genus ærumnoſum,
Deterius quorum eſt conditione nihil.
In nos ſævitum eſt bello, quo durius unquam
Vidit nulla ætas, nec feret ulla dies.
Servitium tulimus crudele, & barbara juſſa,
Parsque domos charas liquimus, & patriam.
Relliquias miſerosque abſumpſit tabida cives
Peſtis, & huc illuc ſævit Erinnys adhuc.

Venetorum enim inſidiis potiſſimum imputabant Galli, quod contra Hiſpanos paulo ante infelicius pugnaverant, graviſſimamque terræ Neapolitanæ jacturam fecerant. Ira igitur & vindictæ cupiditate incenſi, magnis copiis irruptionem fecerunt in Venetorum provincias, & prima in campo Adduano, quem vulgo *Giera d'Adda* vocant, caſtra locarunt. Ubi congreſſi cum Liviano, cui data a Venetis fuerat belli ſumma, dubio primum marte pugnarunt, poſt, vertente fortuna, cruentam fecere victoriam, ipſumque Livianum Ducem, nihil ejusmodi metuentem, captum vinctumque, tanquam ſpolium opimum, e prælio duxerunt. Is vero, captivitate poſtea dimiſſus, quam egregie feliciterque damnum hoc virtute ſua reparaverit, docent illorum temporum annales, & inprimis *Alipr. Capriolus l. c.* Intererat Adduanæ pugnæ ipſe FRACASTORIUS, perpetuus Liviani aſſectator, teſte JO. IMPERIALI in *Muſ. Hiſt. l. c.* FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* ANT. TEISSIERIO in *Elog. l. c.* & *Autore Vitæ Frac. l. c.* Qui cum infenſa Venetis fata cerneret, & a latere quaſi ſuo direptum doleret Livianum, fortunæ ſuæ columen ac præſidium, mutatam ſubito rerum ſuarum conditionem ſenſit, & ſpe omni, quam in Liviani collocaverat benevolentia, penitus proſtrata, alia jam capienda conſilia, & novam vitæ rationem ineundam cognovit.

(i) Neſcius jam, quo ſe verteret, quosque in illa rerum

per-

perturbatione ſequeretur Deos, fugitivus in urbem patriam, a qua diu ſatis aberat, Veronam reverſus eſt, tutiſſimumque ibi fortunarum ſuarum quæſivit receptaculum. Hanc vero poſtquam ingreſſus eſt, lachrymabilem rerum omnium faciem conſpexit, vias domosque ſanguine civium undantes, viros foeminasque parentum, liberorum ac bonorum jacturam ejulatibus multis lamentisque proſequentes, huc illuc vagantes & opem Deorum anxie implorantes civitatis proceres, ſenatum ordine ſuo motum, muros igne, ferro, armisque disjectos, turbulenta omnia, exuſta, deſolata, & peſſundata. Etenim dum Gallorum Germanorumque arma per Venetorum furerent provincias, Verona inprimis hoſtium patuit incurſionibus, & factæ ab illis prædæ pars maxima fuit & præcipua. Quæ cum eſſet communis & ad univerſos cives pertineret calamitas; cum ipſo etiam FRACASTORIO, utpote in urbe media opes paternas poſſidente, quam maxime eſt communicata. Redux enim & ad priſcos penates confugiens, plurimam hæreditatis paternæ partem manibus hoſtium violentis direptam, aliam conflagratam & in cineres redactam, aliam conturbatam barbare & diſperſam vidit. *Cum pluribus bellis*, inquit *Autor Vitæ Frac. l. c. Livianum ſecutus eſſet, eo tum demum ex ipſa Gallorum ad Abduam victoria fuſo ac capto, ſe in patriam ſero contulit, cum omnia pene funditus everſa ac divaſtata direptionibus, & incendiis paterna bona expoſita reperiſſet.* Conf. etiam FRANC. POLA *l. c.* & ANT. TEISSIER. *l. c. p. 174.*

§. IV.

Ingreſſus hic domum paternam, ſi qua fuerat ab hoſtium vaſtationibus integra ſervata, perpetuam Veronæ fortunæ rerumque ſuarum ſedem fixit, genusque vitæ non tranquillum minus & placidum, quam nobile ſibi honeſtumque delegit.

legit. Jam enim, ut acquiſitæ ſibi in re medica doctrinæ copiam in luce publica exponeret, ejusque fructus ferret optatos dudum ſperatosque, ſuas ipſe in regenda reſtituendaque civium ſuorum valetudine periclitari vires coepit, & Medicinam, conſervatricem hominum, profiteri palam. Qua in re cum ſingularis prorſus viri ſolertia, peritia & felicitas, animusque inprimis ſpectaretur ab omni lucri cupiditate alienus (a); dici vix poteſt, in quantam brevi tempore ſcientiæ artisque ſuæ venerit exiſtimationem, quantusque ad eum ægrotantium & opem ejus implorantium factus undique fuerit concurſus. (b) Atque præclara hæc viri de hominum ſalute egregie merentis opinio poſtea non ſolum non imminuta, ſed ita etiam aucta eſt & confirmata, ut dubitem plane, an ulli Medicorum, quos vel noſtra, vel ſuperiori ætate prodiiſſe conſtat, tantus, quantus Fracaſtorio, honor ſit habitus. Etenim hoc ei ad omnem poſteritatem cumprimis fuit glorioſum, quod, ipſius Pauli III, ſummi Pontificis, judicio, digniſſimus inventus eſt, qui congregatis in Concilio Tridentino Patribus eccleſiæ ob pervulgatam in medendo peritiam fidemque adderetur Medicus, (c) largiſſimo ad id ſtipendio conductus. (d) Quo in munere obeundo ſolertiſſimum ſe vigilantiſſimumque præſtitit, & Madrutio inprimis, Cardinali Tridentino, maximis fuit in deli-

deliciis, (e) ſuisque maxime effecit conſiliis, ut illuſtris ille ſacrorum hominum congreſſus Tridento, avertendæ ab iis peſtilentiæ cauſa, Bononiam transferretur. (f) Nec exigua fuere, quibus Catharinam de Medicis, Galliæ Reginam, de puerperii prolisque gloria jam deſperantem fere, & univerſam omnino Galliam ſibi obſtrinxit, Fracaſtorii merita. (g) Et fuit re vera Hieronymus, omnium, qui viri optimi amant memoriam, conſenſu & ſuffragio, (h) egregius plane abſolutiſſimæque doctrinæ Medicus, reliquis omnibus tanto excellentior, quanto magis a veterum, ſummi etiam Galeni, (i) deflexit veſtigiis, &, rerum omnium ſcrutando principia, veritatis ubique fuit ſtudioſior. Inſignem huc attulit non rerum naturalium (k) ſolum, ſed, quas noſſe inprimis decet Medicum, herbarum etiam (l) cognitionem, quæ ipſa a vulgo Medicorum longiſſime eum ſegregavit. Neque intra ſolos ſcientiæ terminos ars ejus omnis ſe continuit; ſed, ut ad generis humani commoda natum ſe oſtenderet, ipſe manu ſua paravit æternæ virtutis medicamentum, affecta febribus corpora valetudini reſtituens, & ſub Diaſcordii Fracaſtoriani (m) nomine ad hunc diem celebratiſſimum. Quæ omnia cum illorum etiam, quos ejusdem artis ſtudio conjunctos ſibi habebat, laudem ipſi venerationemque conciliarent; factum hinc eſt, ut, qui de re gravi dubiaque

H ad-

admodum inter ſe diſceptarent, ad Fracaſtorium, tanquam commune oraculum, confugerent, & hujus ſponte ſe arbitrio judicioque ſubmitterent. (n) Satur tandem laboris & moleſtiæ, qua afficere cultores ſuos Hygiæa ſolet, huic vivendi generi valedixit, & ad dulciores Muſas converſus, ultimos vitæ ſuæ, jam ſatis præcipitatæ, annos in otio & quiete placida tranſegit. (o)

(a) Mira & in his præſertim terris inaudita res videri poteſt, extitiſſe alicubi locorum Medicum, qui non quæſtus aut lucri, ſed gloriæ tantum & amoris cauſa medicinam faceret, & ad extremam usque ſenectutem aliena commoda præferret ſuis. Hac tamen laude unus forte omni ævo inclarui apud poſteros FRACASTORIUS, qui, cum artis ſuæ eſſet ſcientiſſimus, & fortunam haberet certiſſimam laborum ſuorum adjutricem, largiſſimasque adeo ex Medicinæ profeſſione expectare poſſet opum ſuarum acceſſiones, maluit, de omnibus bene merendo, omnium laude & gratia dignus videri, quam, ſibi ipſi & rei domeſticæ inſerviendo, ſordida reliquorum ex vulgo Medicorum perſequi veſtigia. *Eo ſibi nomine* ait JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 16, ſingularem apud omnes peperit benevolentiam, quod ægroti ſalutem præferebat inſigni charitate juſti laboris pretio, quod alias Medici ſuo promerentur miniſterio.* Præclarum quoque eſt JAC. AUG. THUANI *Hiſtor. lib. XII. ad ann. 1553. p. m. 576* teſtimonium, *Medicinam ut honeſtiſſime ac citra lucrum, ita feliciſſime* ab eo *factam* perhibentis. Adjungo his *Autorem Vitæ Frac. l. c.* qui, *in affectis corporibus ſanandis nullius quæſtus potius, quam officii rationem* ab eo *habitam*, teſtatur. Ac, ne dubites, gratuitam plane hanc civibus ſuis operam præſtitiſſe FRACASTORIUM, expreſ-

preſſis id verbis docet PETR. BÆLIUS in *Nouvelles de la Repub. des lettr. an. 1687. menſ. Februar.* ANT. TEISSIER. in *Elog. T. I. p. 169, 173, & 174*, & *Autor Vitæ ejus l. c.* qui, ab ipſis eminentioris dignitatis viris, *ſalute eisdem reſtituta, nullum prorſus pretium, præter amicum animum*, lucratum refert. Neque tamen ideo remiſſius aut negligentius ſuo perfunctus eſt officio, ſed eandem ac majorem, ſi credendum eſt Autoribus prolatis, fidem in hoc negotio & induſtriam adhibuit, quam ſolent ii, qui ſtomachi & crumenæ cauſa, ab ortu ſolis ad occaſum, inſanientium more per valetudinaria bacchantur, &, quaſi ſuo vitas hominum arbitrio regerent, vanis ægrotantes ad extremum usque ſpiritum ſolatiis deludunt.

(b) Cum fuerit FRACASTORII non ſolum doctrina, ſed in morbis depellendis felicitas omnibus cognita, & nulla ab eo lucri quæſtusve in medendo habita ſit ratio; vel absque Hiſtoricorum teſtimonio facile eſt judicatu, fuiſſe eum commune quaſi ægrotantium aſylum & refugium, omniumque in eum, tanquam in certiſſimum conſervatorem ſuum, oculos converſos. Robur huic conjecturæ addit *Autor Vitæ Frac. p. 5*, qui, tam nobiliſſimorum reipublicæ Venetæ & huic vicinæ ditionis plurimis in conſilium adhibitum, quam a remotiſſimis, ad quos fama tanti viri pervenerat, viris principibus & regia dignitate conſpicuis, valetudinis cauſa in aulas evocatum FRACASTORIUM, & perquam honorifice exceptum, teſtatur. Non poſſum non, cum ea in re maxima FRACASTORII verſetur gloria, ipſa ſcriptoris huc verba transſcribere: *Quoniam*, inquit, *hac vitæ ratione multorum amicitiam ſuo ſibi beneficio comparaverat, inimicum vero merito habebat neminem; omnes non Venetiæ tantum, atque illius oræ, ſed externi etiam principes & reguli, ut de vel deſperata, vel dubia vitæ re illum conſulerent, maximis ad ſe conditionibus accerſebant: a quibus ille diſcedens, ſalute eisdem reſtituta, nullum prorſus pretium, præter amicum animum, in patriam referre unquam volebat.* Eadem

 fere

fere refert FRANC. POLA, *proceres quosque Italos, & Regulos non ſolum, ſed ceteros etiam prægrandibus honorariis evocatum, in dubia & plane deſperata vitæ ſalute conſuluiſſe* FRACASTORIUM, teſtatus in *Elog. Frac. l. c.*

(c) Cum Romæ forte aut in vicinia non deeſſent Medici excellentiſſimi, & ſuis jam meritis inclyti, major tamen in FRACASTORIO poſita eſt fiducia, & Verona, urbe Veneta, arceſſitus, qui integro Patrum Tridenti conſociatorum ordini comitem ſe præberet, horumque valetudinem ſibi haberet commendatam. Collatum eſt id muneris in FRACASTORIUM, autoritate & beneficio Pauli III, Pontificis, quem de virtute ejus in medendo ſingulari certiorem fecerant eminentiſſimi Principes quique, FRACASTORIO olim Medico uſi, & incredibilem ejus ſolertiam fidemque experti. Certiſſimi ea de re teſtes ſunt, PETRUS SUAVIS POLANUS (PAULUS SARPIUS) in *Hiſtoria Concil. Trident. lib. II. p. 239*, JAC. PERIZONIUS in *Commentar. rerum per Europam Sec. XVI geſtarum p. 385*, JAC. AUG. THUANUS *Hiſtor. lib. IV. ad ann. 1547. p. m. 207*, JO. SLEIDANUS *Hiſtor. lib. XIX. ad ann. 1547. p. m. 542*, FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* ANT. TEISSIERIUS in *Elog. T. I. p. 173*, LUD. MORERIUS in *Grand Diction. T. II. p. 541*, & *Autor Vitæ Frac. l. c. p. 7.* In eo dubius hæreo, utrum continuum ſe comitem dederit Patribus illius Concilii, & per omne illud tempus, quo agitata eſt in illuſtri illo conſeſſu cauſa eccleſiæ, Tridenti commoratus ſit, an certo ſaltem anni tempore, & vocatus forte, iter fecerit Tridentum, munerisque ſui quædam habuerit intervalla. Illud perhiberi video a TEISSIERIO *l. c.* qui tamen, cum fruſtra innitatur autoritati SLEIDANI, nihil ejusmodi affirmantis *l. c.* ſcrupulum haudquaquam nobis eximit. Contra refert *Autor Vitæ Frac. p. 6, ſemel atque iterum vel in media hieme, magnis itineribus, per abruptas convalles*, ut Madrutio, Cardinali Tridentino, ægrotanti ſuc-

ſuccurreret, *Tridentum proficiſci haud gravatum* FRACASTORIUM. Quod ipſum me movet, ut, neglectis TEISSIERII commentis, in eam potius deveniam ſententiam, non niſi invitatum commigraſſe Tridentum, &, confectis iis, quorum cauſa fuerat vocatus, redditaque ægrotantibus Epiſcopis aut Abbatibus valetudine, domum rediiſſe. Moleſtiſſimum id quidem FRACASTORIO; ſed, quæ ejus fuere de genere humano merendi ſtudia, voluit eodem tempore & Patribus Tridentinis, & Italiæ prodeſſe, quæ ex cive ſuo, continuo annorum curſu Tridenti commorante, parum commodi videbatur perceptura.

(d) JAC. PERIZONIUS *l. c. auctoramento ſatis lauto Patribus Concilii a Papa additum* ait FRACASTORIUM; quale vero quantumque ei pretium fuerit conſtitutum, non memoratum ibi legimus. Noſſe vero id nobis ex SLEIDANO datum eſt, qui *Hiſtor. lib. XIX. p. m. 542* menſtruum ei ſexaginta aureorum ſtipendium decretum refert. At notum eſt, aureum Romanum tantum valere pretio, quantum noſtræ monetæ genere valent thalerus & dimidius. Menſibus igitur ſingulis FRACASTORIO nonaginta, annis ſingulis mille pæne thalerorum exſoluti ſunt. Largiſſima profecto, & ad dignitatem pretiumque FRACASTORII accommodata merces, quæ facile ei apud alios quosque parere invidiam, & moleſtiſſimos quosque labores tolerabiles poterat efficere. Neque dubium eſt, ipſos etiam Epiſcopos ac Præſules, ſuperato graviore morbo, in ſingulare grati animi monumentum, ex ſuis fortunis remuneratos fidem induſtriamque Machaonis ſui, &, ſæviente adhuc morbo, recuperandæ valetudinis ergo omnibus eum beneficiorum cumulaſſe generibus. Conf. TEISSIERIUS *l. c.* SLEIDANI, ut videtur, ſecutus autoritatem.

(e) Qui rerum illo tempore geſtarum non prorſus eſt ignarus, hunc ſcire neceſſe eſt, quantum ad Concilii Tridentini ſplendorem attulerit præſentia Chriſtophori Madrutii, Car-

dinalis, & quanta in virtutis ac ſapientiæ is apud omnes vixerit opinione. Primus enim, niſi prorſus memoria labor, huic in illuſtri illa hominum ſocietate locus a Pontifice tributus, & ſumma rerum data fuerat adminiſtranda. Itaque, quem univerſi Concilii Medicum nominaverat Paulus III, non poterat non ipſi etiam Madrutio innoteſcere FRACASTORIUS, & in ejus, ſi recte quidem obiret partes ſuas, inſinuare ſe benevolentiam. Diſcimus ex *Autoris Vitæ Frac.* verbis, paulo ante prolatis, Madrutio *mirifice dilectum* fuiſſe FRACASTORIUM, & hyberna ſæpius tempeſtate, inclementi turbidoque cælo, longo ac difficili itinere, ut Madrutium morbo laborantem ad ſanitatem reduceret, Tridentum commigraſſe. Quibus ipſis officiis adeo gratus eſſe coepit principi, ut is amicitiæ & familiaritatis quoddam cum eo vinculum contraheret, & urbis Tridentinæ muros ingredientem, ſuis ſtatim ſuccedere penatibus, ſuoque frui hoſpitio juberet. *Hunc ſibi*, dicit JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 17*, *Madrutius, Tridentinus princeps, arctis amoris & humanitatis vinculis conjunctum, vel animi, vel valetudinis gratia ſæpius in proprium accipere conſuevit hoſpitium.*

(f) Solet a plerisque ſcriptoribus translati Tridento Bononiam Concilii, quod vocant, Tridentini culpa conferri in FRACASTORIUM, Concilii Medicum. Magis tamen ea ad ipſum pertinet Paulum III, Pontificem, qui FRACASTORIO, Medico, partibus ſuis addictiſſimo, uſus eſt inſtrumento cogitata dudum & animo deſtinata perficiendi tandem, & Concilium illud transferendi in Italiam. Rem omnem exequar pauciſſimis. Occultas cum Imperatore Carolo V aliquo abhinc tempore ſimultates geſſerat Paulus III, quas, ſi diutius in terris Imperatoriis haberetur Concilium, facile prævidebat ſibi fore periculoſiſſimas. Acceſſere huc injuſti conatus Epiſcoporum quorundam, multa per inſidias molientium, quos conſtabat non ſermonibus tantum & dicteriis obtrectare autoritati legibusque Pontificis ac Purpuratorum, & turpiſſima quæque de

illis

illis in vulgus ſpargere, ſed hoc etiam agere, ſive palam, ſive per cuniculos, ut, imminutis juribus Pontificiis, ſuam amplificarent poteſtatem, dignitatemque ſuam longe redderent illuſtriorem. Quorum nefandos conatus ut in tempore reprimeret, & vigilantius obſervaret machinationes, eo curas cogitationesque omnes convertit Pontifex, ut commoda occaſione avocare Tridento Concilium, & Epiſcopos Præſulesque illic congregatos Bononiam, Romæ vicinam urbem, invitare poſſet. Eam in rem multa clandeſtinis conſiliis tentata ſunt, & legati, quos Tridentum miſerat Pontifex, multis modis ad relinquendam urbem Præſules ſolicitarunt; ſed fruſtra plerumque, obnitentibus maxime iis, qui Cæſaris favebant partibus, & tutiſſimum putabant, procul ab urbe Roma vivere. Vicere tandem inſidiæ artesque Pontificis, &, quod ſuis ipſe perſuaſionibus non potuit, in ſubſidium vocata turpiſſima peſtilentiarum & contagionum monſtra effecere. Repentina urbem Tridentinam fama peragrabat, in pagis vicinis peſtiferam graſſari luem, & hominum ingentem numerum brevi tempore morbo violentiſſimo confectum. Ea res Patribus Eccleſiæ tanto majorem incuſſit metum, quanto certior eodem tempore percrebuit rumor, plerosque eorum, qui in Præſulum erant famulatu, iniqua valetudine conflictari, dubiamque admodum convaleſcendi ipſis ſpem eſſe. At horum ægrotatio re ipſa parum habebat infauſti ominis, quippe ex immoderato vini uſu, aut ex cœli turbulentioris intemperie contracta. Perculſi tamen nuncio horribili Patres decrepiti, & vitæ conſervandæ perquam cupidi, opportuna capienda ſtatuerunt conſilia. Itum igitur ad Medicos, obvios quosque, futurarum calamitatum, ſi quiquam alii, præſcios, & ex illis, quid immineat periculi, quæſitum. Illi, parum certi artis ſuæ, & conſilii hic prorſus ignari, ne quid viderentur ignorare, ſententiam pronuntiarunt talem, qualem Delphis Apollo olim, ambiguam nempe, & Epiſcopis neque inacceptam nimis, neque nimis jucundam.

Du-

Dubito, an in his ipſis fuerit FRACASTORIUS; magis enim hunc amo, quam ut amarulentum PAULI SARPII, quod habet *l. c.* judicium pertinere ad eum exiſtimem. *Medici*, inquit ille, *quorum prognoſtica fere ſunt in deteriorem partem, ut, ſi eveniant, quod ea præviderint, in arte periti eſſe videantur, ſin minus, quod ea prævorterint, hoc ipſo peritiores exiſtimentur, conſulti ambiguum quiddam pronunciant, quod mox diſſeminatum, a credulis primum, dein a mediocribus creditum, ad eos tandem pervenit, qui abiturientes id verum eſſe diſcupiebant.* Interea magis magisque divulgatus eſt contagionis imminentis rumor, auxitque timorem mors inopinata Epiſcopi, qui ſanus valensque Tridentum venerat. Quin in pagis oppidisque vicinis deliberare coeptum eſt, an tutum ſit, cum civitate Tridentina amplius habere commercium. Jamque ad FRACASTORIUM, tanquam certiſſimum hujus rei arbitrum, quæſtionis ſumma rediit, &, quæ expectanda ſit in poſterum tempeſtas, diceret pro muneris ſui ratione, omnes ac ſinguli ab eo contenderunt. Dixit is ſententiam, non ut Medicus, ſed ut homo Pontificis, talem nempe, qualem Paulo III putabat fore gratiſſimam. Inſtabant enim legati Pontificii, in aurem inſuſurrantes ei, debere ipſum beneficiorum & ſtipendii largiſſimi, a Paulo accepti, jam eſſe memorem. Itaque, ſub proximum autumni tempus miſeræ civitati funera ſqualidiſſimamque imminere peſtilentiam, prædixit volentibus. Triſte civitati, lætum Pontifici augurium, eo certius indubitatiusque, quo majorem ſibi FRACASTORIUS non ex Medicina tantum, ſed ex Philoſophia etiam & aſtrorum inprimis cognitione famam comparaverat. Ita repente ſede ſua moti, & de vita ſua jam actum exiſtimantes venerabiles Eccleſiæ Patres, vaſa colligenda, & fatali urbe egrediendum, clamarunt. Nec mora ulla interjecta, menſe Aprili anni 1547 pars Præſulum maxima Bononiam ſe contulit, & die ſtatim XXI illius anni nonam, ac menſe Junio decimam in urbe illa habuit ſeſſionem. Iis vero, qui cum Cæſare

ſare

ſare faciebant, cum ſuboleret fraus Pontificis, nihil ipſi commoti ſunt animo, nec ominanti fidem habuere FRACASTORIO, ſed eodem tempore Tridenti, quo illi Bononiæ, ſuas obiere partes. A reliquorum, quæ poſtea geſta ſunt, cum nihil ſpectent ad FRACASTORIUM, lubens abſtineo commemoratione. Ea, quæ in rem noſtram attuli, expoſita ante me ſunt a ſcriptoribus præſtantiſſimis, PAULO SARPIO *l. c.* JAC. PERIZONIO in *Commentar. rer. Sec. XVI. p. 384. ſeq.* JAC. AUG. THUANO *Hiſt. lib. IV. ad ann. 1547. p. m. 207,* JO. SLEIDANO *Hiſtor. lib. XIX. ad ann. 1547. p. m. 542,* aliis. Nihil prorſus ea de re memoriæ proditum miror FRANC. POLÆ in *Elog. Frac.* & *Autori Anon. Vitæ Frac.* ſcriptoribus, alioqui in memorandis iis, quæ geſta ſunt a FRACASTORIO, diligentiſſimis. Dubitare quis poſſit, utrum laudi majori ea res FRACASTORIO, an majori ceſſerit vituperationi. Manifeſto enim apparuit poſthac, non inflatum Deo hæc vatem ceciniſſe præſagia, ſed longe aliter, ſi ex mentis conſcientia dicendum ipſi fuiſſet, de futuris temporum eventibus fuiſſe judicaturum. Memineris vero, quisquis inique hæc interpretaris, facta hæc eſſe juſſu Pontificis, cujus non obtemperare legibus, nec quoquo modo promovere commoda, pro ſcelere turpiſſimo & inexpiali habebat vir bonus, FRACASTORIUS.

(g) Mirum videbitur Lectoribus noſtris, quædam hic FRACASTORII de Galliæ regno commemorari merita, cum parum de rebus Gallorum ſoliciti alioqui ſint Itali, nec multum adeo cum gente illa FRACASTORIO interceſſerit commercii. Atque magis miraturos prævideo, ubi cognoverint, id ipſum FRACASTORIO meo tribui, quod alii quique ſcriptores, inprimis Galli, FERNELIO ſuo, Medico inter Gallos facile principi, Archiatro Henrici II Regis, unanimi tribuerant conſenſu. Conſtat nempe ex illorum temporum monumentis, fruſtra Henrico diu ſatis ex Catharina Medicæa conjuge expectatam ſperatamque prolem, jamque omnem abjectam ſpem

 fuiſſe

fuiſſe procreandi unquam hæredis maſculi, & imperii ad ſucceſſorem ex ſe natum transferendi. Tandem, cum omnia incaſſum tentata eſſent, & de puerperio Catharinæ res videretur plane deſperata, JO. FERNELII opera & arte ſingulari factum dicitur, ut exſiccatis quaſi & conſtrictis Reginæ oſſibus robur ſuum ſuusque vigor rediret, & foecundiſſimam poſtea puerperam Galli, ſeptemque liberorum, & in his trium Regum matrem ſalutarent. Ab eo tempore illuſtriſſimum per Galliam fuit nomen FERNELII, & artis Medicæ mirum in modum amplificatus eſt honos. Etſi vero eorum nullus, qui hanc FERNELIO detulere gloriam, FRACASTORII mentionem injecerit ullam; hunc tamen tanti honoris æquum eſt fieri participem, nec minores huic, quam FERNELIO, de re tam feliciter confecta a Gallis haberi gratias. Etenim compertum habeo ex *Ephem. erud. Eſſais de Literat. menſ. Novembr. an. 1702. p. 287. ſeq.* conſultum a FERNELIO ſive præſente, ſive per literas fuiſſe FRACASTORIUM, conjunctiſſimum ipſi amicum, quibus remediis obviam eundum putaret ſterilitati Catharinæ, rogatumque, ut ſua arte in tam ancipiti negotio ipſum adjuvaret, invitatum etiam, ut ejus rei cauſa veniret in Galliam, & ex præſente Regina difficilioris puerperii cauſas cognoſceret. Datum id a FRACASTORIO precibus amici lubentiſſime, tamque feliciter hunc demandato ſibi munere perfunctum, ut, indagato cognitoque Catharinæ morbo, certiſſima FERNELIO tollendi mali remedia ſuppeditaret. Quibus cum ille optatiſſimo cum ſucceſſu ſit uſus, factum hinc eſſe, ut ab ignaris hujus rei & privati, quod FRACASTORIO interceſſit cum FERNELIO, commercii ſcriptoribus, quæ illi debebantur, huic tribuerentur laudes, & in occulto manerent FRACASTORII de Gallis merita. At quis ignorat, ita plerumque cum rebus humanis comparatum eſſe, ut, quæ ſerimus ipſi, metant alii, &, quos amamus impenſe, his gloriæ & fortunæ ſuæ autores ſimus. Eruere tamen ex tenebris ſuis ventura

ætas

ætas res ſolet præclare geſtas, & ſua tandem egregii laboris quemque merces fructusque ſequitur. Hariolando hæc aſſecutos Autores Diarii illius, nolim, cuiquam veniat in mentem; ſed ex documentis fide dignis hæc ipſis videntur fuiſſe cognita. Rectius tamen feciſſent omnino, ſi eorum, quibus hæc primum relata dicunt *l. c.* ad certiorem rei confirmationem indicaſſent nomina. Qui rem eandem refert, ANT. TEISSIERIUS in *Elog. T. I. p. 177*, illorum potius ſecutus videtur autoritatem, quam ut majorem huic rei conciliare fidem poſſit.

(h) Quantum præſtiterit in Medicina vir poſteris narrandus, FRACASTORIUS, tam patet ex ſcriptis ejus bonæ frugis pleniſſimis, in quibus nihil vulgare, nihil non exquiſitum & firmiſſimis ſuperſtructum fundamentis legitur, quam ex innumeris eorum, quibus judicare ea de re datum eſt, præconiis colligimus. Scripſit enim *de Cauſis dierum Criticorum, de Sympathia & Antipathia*, & *de Morbis Contagioſis*, ſingularibus libellis, qui tantis rerum optimarum theſauris referti dicuntur, ut in illis, quæ diſcat & in rem ſuam convertat, vel Medicorum habeat peritiſſimus, nec ad hunc diem eadem argumenta ſimili cum doctrina a quoquam ſint pertractata. Quibus ipſis meruit, ut *Medicus eximius*, GERH. JO. VOSSIO *de Art. & ſcient. nat. lib. III. qui eſt de Matheſi. Cap. 64. p. m. 189*, *illuſtris Medicus*, OL. BORRICHIO *Diſſ. III. de Poetis p. 98*, & JO. MATTHÆO TOSCANO in *Peplo Italiæ lib. III. p. 73*, *Medicinæ artis illuſtrator nobiliſſimus*, FRANC. SIXTO SENENSI in *Biblioth. Sancta lib. IV. p. 300*, *divinum ingenium, quo auctore medicina multum ſit conſecuta*, BERNARDINO PARTHENIO in *Orat. pro lingua latina p. 26*, *omnibus Europæ Medicis præexcellens*, FRANC. POLÆ in *Elog. Frac. l. c. præ reliquis caput inter Medicos extuliſſe*, TH. BARTHOLINO *de Medicis Poetis p. 131*, & *in Medicina nominis celebritate primum inter illuſtres totius Europæ medicos locum obtinuiſſe* diceretur *Autori Anon. Vitæ Frac. p. 4*, & JAC. BURCKHARDO in *Medico*, *graviſſimo humani-*

manitatis ſtudiorum vindice p. 6. Et fuiſſe viventem etiam in maxima apud ſuos ſcientiæ medicæ fama, apparet ex *Decreto publico civitatis Veronenſis, pro erigenda Fracaſtorio ſtatua marmorea facto, Oper. Frac.* præfixo, ubi, elogio perhonorifico, *Philoſophiæ & Medicinæ peritia ſui temporis celeberrimos homines æquaſſe* dicitur. In medendo ſingularem ei ab ipſa quaſi natura fuiſſe dexteritatem, modumque facilem ac elegantem, teſtatur HIERON. GHILINUS in *Teatro d' huom. letter. ſub Frac.* qui & Medici feliciſſimi nomen ei tribuit. In eo inprimis præ ceteris tam ſuæ, quam poſterioris ætatis Medicis præcipuam laudem habuit, quod morbos difficilioris indaginis, nec adeo communes, ſed quorum nomen raro auditur, non ſolum expenderit accurate cognoveritque callide, ſed faciliimo etiam negotio, & exquiſitis remediis ſciverit depellere. Unde de eo verba *Autoris Vitæ ejus p. 5* hæc ſunt: *Medicinam - - toto vitæ tempore ita exercuit, ut in affectis corporibus ſanandis, in quibus illi mirifica quædam & divina prorſus vis fuit, nullius quæſtus potius, quam officii rationem haberet.* Febres quotidie obvias, crapulas, ſingultus frequentes, gulæ raucitates, tuſſim, pituitam, lippitudines, narium diſtillationes, ſimilesque his morbos medicamentis tollere vulgo cognitis ac per manus traditis, coecutire in ceteris, exigui tenuisque admodum ingenii res eſt; at, parum audita antehac, nec ad arbitrium Medici accommodata, ſed in intimis viſceribus ipſisque medullis hærentia morborum genera oppugnare fortiter, & feliciter movere ſede ſua, hoc majoris artis, hoc dignioris laboris, hoc FRACASTORII opus puto. Invaſerant Italiam temporibus illis peſtilentiſſimarum febrium & contagionum horrenda agmina, integras urbes pervaſtantia, & genti Italæ infenſiſſima. Stabant perterriti, & complicatis manibus funera ſua expectabant, quotquot erant Hygiææ ſacerdotes, expertes conſilii, medelæ neſcii, ingemiſcentes arti ſuæ. Unus forte in his FRACASTORIUS, minus perturbatus animo, & rerum ſuarum certus magis,

gis, quicquid armorum habuit, in hoſtem vertit truculentum, &, viis omnibus exploratis, in ipſa quaſi ejus caſtra penetravit. Scrutatus enim prima morborum & peſtilentiarum ſemina, jamque cauſas edoctus, cur tantis ſubito ſpatiis circumlata lues terrori exitioque ſit hominum tot millibus, in eo pro virili parte elaboravit, ut malo tam formidabili medicinam pararet, &, ſi non penitus reprimeret, aliquantum tamen levaret atque imminueret ejus impetum. Cujus rei periculum fecit in egregiis *de Sympathia & Antipathia*, & *de Morbis contagioſis*, libellis, digniſſimis ſane autore ſuo, & ſumma cum cura aſſiduaque meditatione compoſitis. Coeperat & illa ætate primum audiri in Italia infauſtum morbi Gallici nomen, febri peſtilentiſſimæ aſſimilis, quem a Gallis, magno exercitu per Italiam graſſantibus, peregre advectum, & impuro contubernio cum foeminis Italis communicatum, fama erat. Ingens novi morbi terror fuit, eo periculoſioris, quo occultius, quoque vehementius furebat. Obmutuerunt hic conſulta Medicorum oracula; fruſtra hic pillulas propinari, fruſtra vomitiones cieri, fruſtra ſiccari, fruſtra uri, fruſtra ſecari ægra corpora, experimentis compertum eſt. Iterum hic perſpicacior ceteris FRACASTORIUS, ut gentem patriam malo liberaret tam pernicioſo, inſidiatus eſt remediis, quibus averti hæc peſtis, & ex Romani imperii finibus exterminari penitus poſſet. Ad expugnandum itaque debellandumque tam deforme monſtrum magno animo converſus eſt, & *lib. II ac III. de Morb. Contag.* de morbo illo optima quæque atque utiliſſima congeſſit, quin &, Apolline novemque Muſis in auxilium vocatis, carmen de Morbo Gallico venuſtiſſimum compoſuit, *Syphilis* inſcriptum, quod unum FRACASTORIO ad nominis æternitatem ſufficere, intelligentes quique harum rerum fatentur exiſtimatores. Docte hic in illius morbi originem cauſasque inquirit, &, refutata eorum ſententia, qui a populo peregrino in Italiam irruente ejus natales arceſſebant, a ſola aeris illa circiter tempora inquinatiſſimi peſti-

lentia profectum, & pro contagionum genere habendum tradit; tum ipſam morbi naturam modosque varios, illum corporis in homine ægrotante torporem, illum animi languorem, difficilem membrorum uſum motumque, oculorum ſiccitates, genarum pallorem, faciem cadaveroſam & exſanguem, demiſſos humeros, latera pendentia & elumbia, ſcapularum, brachiorum, ſurarum, artuumque omnium dolores, foetorem cariemque partium genitalium, inguinum putredinem, extuberantes in extrema cute multoque tabo & mucoſa ſanie infectas puſtulas, ſordidum turpemque per membra callum, gutturumque raucitatem, & ſi qua alia hujus morbi incommoda ſentiuntur, diligenter obſervat, exemplisque confirmat; inde, qua medicina ſubveniendum ſit huic malo, caute ſoliciteque disquirit, &, qui prima morbi ſemina intra viſcera ſentit, illi, quisquis ſit, hoc maxime agendum docet, ut corpus aſſiduis exerceat laboribus, otia ſomnosque fugiat, feras in montibus ſylvisque conſectetur, ſingulis diebus certum locorum ſpatium curſibus abſolvat, manibus frequenter pilam verſet, curarum, timoris, iræ, doctique laboris expers ſit, carminibus cantandis tempus fallat, honeſtos cum puellis jocos miſceat, a venere ſibi cumprimis temperet, frugalem in victu modum teneat, a piſcium, anatum, anſerum, carnis porcinæ, cucumerum, cinnabaris & bulborum eſu, lactisque & vini fortioris potu abſtineat, olerum vero ſimpliciſſimis aſſueſcat ferculis, vere novo venas incidendas Chirurgo præbeat, ſanguinem medicamentis diluat, ſalſosque toto corpore ſudores eliciat. Subjunxit his omnibus ingentem medicarum compoſitionum numerum, in quibus mireris profecto Medici conſummatiſſimi artem & ingenium, herbarumque nobiliſſimarum non prudentem minus delectum, quam ſagacem felicemque inter ſe commixtionem. Non is ego ſum, qui de rerum illarum pretio decernere quicquam poſſit; certo tamen ſcio, eorum, quibus omnes Æſculapii artes opesque adminiſtrandæ contigerunt, fore neminem, qui, ubi

ubi ad lectionem carminis *Fracaſtoriani* ſeſe converterit, non aſſenſu ſuo dicta mea comprobet, nec maximam medendi vim virtutemque ineſſe fateatur iis, quæ ſolerti parata manu, civibus ſuis, ex infelici morbo laborantibus, propinavit FRACASTORIUS. Unicum ſatis ſit adduxiſſe ſpecimen, ita comparatum, ut judicem, quisquis is ſit, vereatur neminem. En, quæ legimus *lib. II. Syphil:*

Ergo Coryciumque thymum ſit cura, thymumque
Pamphylium, thymbræ ſimilis qui durior exit,
Prima tibi coxiſſe, lupique volubile gramen,
Foeniculumque, apiumque, & amari germina capni.
His polyporum hirtos imitata filicula cirros
Additur, & lymphis tangi renuens adiantus.
His ſterile aſplenum, his pictam phyllitida junge:
Quorum ubi decoctum permultis ante diebus
Ebiberis, crudumque humorem incoxeris omnem,
Tum ſcilla medicare acri, & colocynthide amara,
Helleboroque gravi, nec non quæ in littore ſurgens,
Qua ludit magis unda, ter evariata colorem,
Ter flores mutata die rem nomine ſignat,
Herba potens radice, ſuum cui zinziber adde:
Adde etiam anguineum cucumim, Nabathæaque thura,
Myrrhamque, bdelenque, hammoniacique liquorem,
Et lachrymam panaceam, & dulci colchica bulbo.

Hæc ſi parum ſint ad palatum, ipſe in manus ſume libellum, & ex illo rerum optimarum theſauro locupletiſſimo, quæ placeant maxime, quæque convertas in rem tuam, delige. Illud forte reprehendere poſſis in hoc carmine, quod ſolus homo iſti morbo dicatur obnoxius, ejusque in reliquis animantibus ulla negentur animadverti veſtigia. Satis enim, noſtris certe temporibus, experientia confirmatum eſt, ſæpius canes felesque, ſæpius univerſum pecudum gregem tali infectum eſſe morborum genere, quod & foetore ſordibusque ſuis, & aliis quam-

quamplurimis indiciis lui venereæ plane ſit ſimillimum. Notavit rem eandem JUL. CÆS. SCALIGER *lib. V. de Re poetica*, viſumque a ſe canem memorat, qui, poſtquam domini ſui emplaſtra linxerit, ejusdem, quo dominus laborabat, morbi factus fuerit particeps. Ceterum FRACASTORII in Medicinam merita, ſingularia maxime, & omni poſteritati celebranda, breviter expoſita leguntur in *Eſſais de Litter. menſ. Nov. 1702. p. 287. ſeq.*

(i) Sicut quemque ſubtilioris doctrinæ ſtudioſum ſuum adhibere decet ingenium in rerum, quæ ab humano pendent judicio, indagatione, nec coecum præbere aſſenſum dictis ſententiisque eorum, quorum maxima eſt doctrinæ inter eruditos opinio; ita in Medicina cavendum inprimis, ne trita veterum temere ſequamur veſtigia, ſed in generis humani, cujus promovenda eſt ſalus, commodum expendamus omnia probe, & inquiramus in ea diligenter, longiusque eniſi induſtria noſtra, majora in dies arti ſalutari afferamus incrementa. Singularem igitur laudem meretur FRACASTORIUS, qui, etſi GALENI autoritatem magni ſemper fecerit, & *Philoſophi accurati, & Medicinæ parentis ac veluti Dei*, nomen ei tribuerit in *Præf. ad Op. de Dieb. Crit.* non tamen ita juravit in verba ejus, ut non errores ejus ſtudioſe animadverterit, & veritatem contra omnes illius ſectatores fortiter defenderit. Præclara eam in rem, & omnibus illis, qui noſtra ætate LANGIOS ſuos, RIVINOS ſuos, ſuos STAHLIOS, ſuos BOERHAVIOS crepant, bene notanda ipſius FRACASTORII verba ſunt *Cap. III. ejusd. Opuſc: Galeni nomen ac memoriam ſacram ſanctamque colimus: quicquid vero molimur, id omne veritatis, & philoſophiæ amore facimus, quæ in nullius verba jurare addicta eſt.* Specimen hujus rei dabunt ea, quæ *de Cauſis criticorum dierum* ſingulari libello diſputavit vir egregius, quorum cum omnem rationem a ſiderum & lunæ inprimis in corpora humana imperio petendam eſſe perhiberent GALENUS ejusque diſcipuli, Aſtrologo-

logorum ea in re præceptis innutriti, ipſe, re diligentius conſiderata, in maximam ſententiæ illius dubitationem adductus eſt, & fortiora ſibi viſus eſt inveniſſe argumenta, quibus cauſam horum dierum in nobis ipſis & varia morborum indole poſitam evinceret. Nihil igitur veritus autoritatem principis Medicorum GALENI, hocque glorioſiorem auguratus ſibi victoriam, quo illuſtrior eſſet, cum quo congrederetur, hoſtis, omnibus eum armis aggreſſus eſt, pugnamque, ni fallor, pugnavit feliciſſimam. Turpe enim & indignum Philoſopho putavit, agnoſcere veritatem, neque tamen publice profiteri eam, ne forte magnorum virorum, a quibus diſſentimus, in nos concitemus odia. Quantumvis quis polleat ingenio, & doctrinæ inſtructus ſit apparatu, non certe tantus eſt, ut errare nunquam poſſit, hujusque major, quam veritatis, habenda ſit ratio. Multum me delectant, quæ profert Noſter in *Præf. ejusd. Opuſc. Præcipue Galenum,* inquit, *mirari licet, qui alioqui tantus Philoſophus, tam accuratus, & medicinæ parens, ac veluti Deus, tam facile perſuaderi potuerit, ut, facultate propriæ artis neglecta, præſtigiis alienæ involvi paſſus ſit. Sed certe de magnis ingeniis illud dici par eſt, quod & de magnis venatoribus, qui ſæpe, cum multa ſectentur, quædam negligentius inſequuntur: unde nihil mirum videri debet, ſi & Galenum, qui tot invenit, qui tanta ſcripſit, qui ingentem illam Medicinæ molem digeſſit, formavit, condidit, quædam tandem effugerint.* Et ſane fatendum eſt, in omnibus FRACASTORII ſcriptis, quod multum in viro præſtantiſſimo ſuſpicere ſoleo, regnare nobilem quandam ſentiendi libertatem, & legenti cuilibet luculenter ſtatim intelligi, nihil ſcriptum ab eo, nihil unquam prolatum, quod non diuturna meditatione & ex argumentis plane invictis ipſi fuerit compertum.

(k) Cum de FRACASTORII, qua inclaruit in quovis ſtudiorum genere, doctrina non niſi ex ſcriptis ejus ferri poſſit judicium; hæc ipſa de rerum quoque naturalium, quam ha-

buit, notitia abunde teſtantur. Nam, quos *de Homocentricis*, *de Sympathia & Antipathia*, *de Morbis contagioſis*, & *de Vini temperatura* edidit, absque profunda naturæ cognitione ne potuiſſe quidem componi libros, vel ipſa eorum argumenta perſpicue declarant. Quodſi vero propius ad illos acceſſeris, curatiusque inſpexeris eos, intelliges profecto, non vulgariter in hoc doctrinæ genere verſatum fuiſſe autorem, ſed in intimos usque ejus penetraſſe receſſus. Qua de re ne dubitare quis poſſit; age, quæ lectori naturæ curioſo eſſe poſſint ad palatum, quædam proferamus ſpecimina. Docte inprimis ſubtiliterque de aeris varietate, ejus loco naturali, per foramina penetrandi modo, cur & quomodo ille in locis exſiccatis ab aqua propulſetur, quidque ad ſaporum ſuavitatem conferat, in libro *de Symp. & Antip. Cap. 3, 10, 14,* & *de Contag. lib. I. Cap. 12,* de aquæ diverſitate, loco naturali, cur in pennis, pulvere, & aliis rebus ſiccioribus non conſiſtat, cur in calce tamen, ſpongiis, rebusque ſimilibus promtius admittatur, cur aquæ optime miſceatur, cur non æque ac vinum ebrietatem afferat, *ibid. Cap. 3, 9, 10, 11,* & *de Intellect. lib. II,* de attractione & motu ſimilium ad ſimilia, in lib. *de Symp. Cap. 5,* de ferri cum magnete conjunctione, in lib. *de Homocentr. Cap. 9* & *de Symp. Cap. 5,* de fervoris cauſis, *ibid. Cap. 24,* fulmina cur malos navium tangant, neque ſimul carinas, cur lauro parcant, cur aurum vinumque illæſis loculis vaſibusque ad liquorem redigant, *ibid. Cap. 11 & 24,* de igne ſylvatico, *lib. II. de Contag. Cap. 15,* de ignis modis variis, ejusque locis, in lib. *de Symp. Cap. 3,* de lapidum duritie, in *l. I. de Contag. Cap. 7,* de locuſtis peſtem portendentibus, *ibid. Cap. 13,* de magnetis natura, origine, & unde ſit, quod ipſe magnetem & argentum trahat, in l. *de Symp. Cap. 5 & 24,* de maris æſtu, an ſemper augeatur circa lunæ quadraturas, in l. *de Dieb. crit. Cap. 4,* de montibus ferri & magnetis ſub polis, & eorum effectibus mirandis, num revera exiſtant, in l. *de Homocentr. Sect. III. Cap. 1,* & *de Symp. Cap. 7*

& 24,

& 24, de motu, *lib. I. de Intelleᶜt.* de oleo, cur aquæ ſuperſtet, nec miſceatur ei, & cur in chartam poſitum ferveat, nec chartam tamen accendat, in l. *de Symp. Cap. 11 & 24*, de primo mobili, in l. *de Homoc. Sect. I. C. 7* & *S. II. C. 3*, de lignis & remis, cur in aqua fracti appareant, *lib. II. de Intellect.* de riſu, in l. *de Symp. Cap. 20*, de ſaporibus acutis, ſalſis, aſperis, ſuavibus, acetoſis, in l. *de Symp. Cap. 14*, de ſonis, *ibid.* de ſomno & ſomniis, *lib. II. de Intellect.* de vacuo & cur eſſe in natura nequeat, in l. *de Symp. Cap. 2*, de adamante & electro, *ibid. Cap. 7 & 11*, de titillatione, & cur a nobis ipſis tangentibus fieri nequeat, *ibid. Cap. 20*, & de aliis argumentis alibi incomparabili cum doctrina Noſter & ſingulari plane ingenii perſpicacia disquirit. Pertinent huc ea quoque, quæ de paguris lapideis & eorum origine ex ore FRACASTORII accepta ſibi refert TORELLUS SARAYNA in libro *de Amplitudine civitatis Veronæ, lib. II*, quem vide in J. G. GRÆVII *Theſ. Antiqu. Ital. T. IX. P. 7. p. 9.* Scilicet donatum a ſe aliquando dicit FRACASTORIUM, quem *peritiſſimum Medicum ac Philoſophum præſtantiſſimum* vocat, paguro quodam petrefacto, rogatumque, ut, quæ veterum fuerit Philoſophorum, quæ ipſius ſit de illo piſcium genere opinio, perſpicue ediſſereret. Factum id ſtatim a Noſtro verbis non humaniſſimis ſolum, ſed doctiſſimis etiam, & triplici Philoſophorum enarrata ſententia, eam inprimis comprobatam ipſi firmisque rationibus ſuffultam, qua vera olim animantia, in mari producta, & a prætereuntibus quaſi æquorum fluctibus in montes jactata, fuiſſe lapides illi perhibentur. Quæ prolata hanc in rem ſunt a FRACASTORIO, latius expoſita leguntur *l. c.* Ex omnibus his, quæ paſſim a Philoſopho noſtro docte ſunt diſputata, perſpicue cognoſcitur, liberrimi eum in indaganda rerum natura fuiſſe ingenii, &, quamvis negandum non ſit, ARISTOTELIS ſæpiſſime ceterorumque Philoſophorum veterum ſententias, de quarum perſuaſum habuit veritate, ab eo defendi fortiter,

emendata tamen ab eo quamplurima, multa enucleatius propoſita, & proprio expromta ingenio, alium interdum in dicendo modum, alium ſervatum fuiſſe ordinem.

(l) Quanta in herbis plantisque, ſive hortenſianis, ſive pratenſibus, ſive ſylveſtribus, medendi vis inſit, quantumque ad medicinæ incrementa conferat non vulgaris rei herbariæ notitia, & optime intelligunt ii, qui floſculorum omnium fruticumque diligenter explorarunt virtutes, & HEBENSTREITIUS meus, ille ſcilicet,

cui florent, cui ſponte ferunt ſua gramina campi,

invictis, ſi id quidem opus eſſet, edocere quemque argumentis poſſet. Quod cum ipſi FRACASTORIO eſſet perſuaſiſſimum, non ſolum antiquorum, quotquot aliquid de re herbaria ſcriptis prodidiſſe conſtat, impigre verſavit libros, teſtante id *Autore Vitæ Frac. p. 5*, ſed, cum leviter in illo doctrinæ genere verſatos eſſe veteres, multaque adhuc in agris abdita latere ignotæ virtutis ſemina, recte animadverteret; exquirendis illis & medicinæ cauſa in lucem proferendis ſedulam navavit operam, & exiguam Medicinæ ſupellectilem novis egregiisque acceſſionibus locupletavit. Solebat enim, ut teſtatur FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* in vallibus amoeniſſimis montis Caphii, prope Veronam ſiti, quo frequenter animi cauſa ſe contulit, humi naſcentes veſtigare herbulas, & peragrando dumeta ac virgulta omnia multum temporis conſumere. Quo ſpectare videntur, quæ canit ANTONIUS MARIUS, Ligur, in carmine quodam *ad Fracaſtorium*, inſerto *Carmin. illuſt. Poet. Ital. T. VI. p. 244*:

- - - - dum te Marpeſia celſo
Colle tenet, placidi ſectantem commoda ruris,
An medicas herbas, Phoebo monſtrante, per agros
Colligis, ut caros cives a funere ſerves?

Memorat etiam *l. c.* FR. POLA, in rem herbariam Commentarios a Noſtro ſcriptos in agro Caphio; at cum nihil eorum

ex-

exſtet in *Operibus Fracaſtorii*, neque de illis quicquam compertum aliunde habeam, dubito fere, an cum orbe literato unquam fuerint communicati. Forte opus inchoatum, ut fieri interdum aſſolet, mors FRACASTORII repentina intercepit, nec poſtea de vulgando illo quisquam fuit ſolicitus. Cujuscunque fuerint generis, non illis, ut exinde, quanta FRACASTORIO herbarum fuerit cognitio, conſtare nobis poſſit, videmur habere opus, cum ſcripta ejus, quæ exſtant, pleraque doctiſſimas utiliſſimasque de herbis, ætate illa parum cognitis, earum genere, & explorata medendi vi, obſervationes contineant, quæ luculenter ſatis oſtendunt, in præſtantiſſima hac ſcientiæ naturalis parte FRACASTORIUM minime fuiſſe hoſpitem. Nam, ut eorum, quæ ipſe inter legendum animadverti, hic proferam potiſſima, non poterunt non mirifice delectare iſtarum rerum cupidos, quæ de organicis plantarum attractionibus *Cap. 12*, de inſigni *braſſicæ* & *rutæ* antipathia *Cap. 11 de Symp. & Antip.* de *tormentillæ* & *boli Armenii* ſalutari contra morſus viperarum uſu *lib. III. Cap. 2*, de *bubonio*, quod Græci ἀστέρα, VIRGILIUS *amellum* vocat, peſtilentiſſimarum febrium remedio, *Cap. 7*, de *hellebori* contra rabiem vi medica *Cap. 9*, de *guaiaco*, arbore Hiſpana, morbum Gallicum depellente, *Cap. 10*, & de *cinaro*, eodem in morbo egregium uſum præſtante, *ibid.* in Op. *de Contag. morb.* ſtudioſe diligenterque ediſſeruntur. Legat inprimis, quisquis hæc amat ſtudia, compoſitiſſimum ejus *de Morbo Gallico* poema, florentiſſimi horti inſtar pictum pulcherrimis graminum ſurgentium coloribus, quod copioſiſſimum omnium fere, quæ aliquo penes Medicos in pretio eſſe ſolent, herbarum apparatum, laudesque ſingularum exhibet multiplices. Vides hic citharis FRACASTORII ſuaviſſimis æternitati quaſi conſecratum Corycium Pamphyliumque *thymum*, *lupum* ſalictarium, olentem *thymbram*, vivax *apium*, *foeniculum* ſylveſtre, *capnum*, quem vocant *terræ fumum*, *filiculam* polyporum cirris indutam, *adiantum* aquæ impatien-

patientem, ſterile *aſplenum*, formoſam *phyllitida*, *ſcillam* maritimam, ſylveſtrem *colocynthida*, *helleborum* vehementem, *zinziber* Indicum, *bdellium* Bactrianum, *myrrham* Arabicam, *panaceam* odoriferam, *aſpalathum* Rhodium, *cyperum* odoratum, *caſiam* apibus gratiſſimam, *amomum* Aſſyrium, *agallochum* *maсerque* radicoſum, ſuaviſſimi odoris *cinnamum*, rubicundi coloris & chamædryn comis referens *ſcordium*, *citrum* Cythereiam, Lucinæ ſacram *Dictamnum*, *irim* Illyricam, *rhamnum* nigrantem, acidam *inulam*, auricomum *narciſſum*, *crocum* Corycium, *terebinthum* reſinæ feracem, nigrum *melampodium*, *laſer* Syriacum, *liguſtrum* album, *ſtoechada* Pharmacopolis utiliſſimam, virentem ſemper *verbenam*, *amaracum* Idalium, ſuaveolentes *heracleas*, & *guaiacum* inprimis, Hiſpana novi orbis inſula oriundum, cujus inſignem, quem præſtat in morbo Gallico, uſum integro libro FRACASTORIUS perſequitur. Neque herbarum congeſta hic ſola nomina putes, quod ipſum ne vitio quidem verti poſſet poetæ, modis ſervienti numerisque ſuis, ſed, quid ſingulæ ad hominum conferant ſalutem, quæ parari ex illis contra morbum Gallicum medicina poſſit, ſtrictim hic & pro ingenio Poetæ eleganter decantatum. Id quod in cauſa fuiſſe videtur, cur *multis herbis ab antiquis pridem deſcriptis, ſed noſtro ævo incerta ſimilitudine perobſcuris, eruditam* a FRACASTORIO *claritatem allatam* diceret *Autor Vitæ Frac. p. 5*, cujus teſtimonium res ipſa, ut vidimus, egregie confirmat.

(m) In vulgus notum eſt, nec noſtra laude indiget illud probatiſſimæ compoſitionis *Diaſcordium Fracaſtorianum*, quod vel ſolum, ſi nulla præterea FRACASTORII in rem medicam exſtarent merita, a fæce Medicorum longiſſime eum ſecerneret. Nomen illi, ut puto, ab herba inditum, redolente allium, & Græcis σκόρδιον appellata. Nihil eo contra vehementiſſimas peſtilentiſſimasque febres fortius unquam, nihil certius, nihil ſalutarius inventum; Veronæ inprimis utile, cujus triſtiſ-

ſima

ſima tunc temporis & maxime deplorata erat facies, multis jam millibus hominum horribili contagione abſumtis. Nec ſua tunc deſtitutum virtute fuiſſe, ſed multos eodem conſervatos, morbi certe dolores tolerabiliores factos, vel ex eo colligo, quod noſtra adhuc ætate, qua mira cepit, quicquid eſt artis medicæ, incrementa, Medicis ac Pharmacopolis vulgo ſit cognitiſſimum, nec fruſtra propinetur ægrotantibus. Et ipſe ſibi placuit egregie hac medicina FRACASTORIUS, nullus dubitans, fruſtra tentatis omnibus remediis, in hoc ipſo, niſi gravior arte humana morbus ſit, certiſſimam ſalutis ſpem fore. *Si contumax adhuc*, ait *lib. III. de Contag. Morb. Cap. 7, & nihil parens remediis apparebit ægritudo, ego (quod in medium afferam) non aliud majus remedium excogitare ſcio, quam hoc, quod habet ſucci - - Diaſcordii noſtri, - - omnia bene miſceto, & totum haurito, quod ſi nihil juvabit, ſcito, morbum eſſe majorem, quam humana remedia.* Mentionem ejus perquam honorificam facit *Autor Vitæ Frac. p. 5.* Cumulari hic innumera aliorum de potu hoc ſaluberrimo poſſent præconia, ſi vaſtiſſima ſcriptorum, qui medicamentorum dedere hiſtorias, volumina perquirere juvaret. Utatur eo, qui noſſe ejus vim cupit, &, quantum valeat, expertus, æternas piis FRACASTORII manibus gratias perſolvat. Cave tamen, ne ſciente Medico tuo utaris eodem; nam omnia ille molietur contra, ne, quam ipſe aucupatur, tu FRACASTORIO laudem tribuas. Quodſi tamen nimis ille tibi ſit carus, nec imperare a Te poſſis, ut, non conſulto illo, guttulam abſorbeas, ignorare te finge nomen FRACASTORII, & ſi quid melius te habeas ex potu iſto, id ſoli debere te profitere Medico. Non ille tunc (experto mihi crede) repugnabit amplius. Multum te amo, &, ut ipſe manu tua parare poſſis divinum antidotum, ecce tibi omnem, quam ipſe FRACASTORIUS *l. c.* præſcripſit, componendi illius rationem. *Habet,* inquit, *Diaſcordion noſtrum, Cinnamomi, Caſiæ ligneæ an. unc. 5.*

Scor-

Scordii unc. j. Dictamni cretici, Tormentillæ, Biſtortæ an. unc. ʒ. Galbani, Gummi an. unc. ʒ. Opii drach. j. ʒ. Styracis drach. iiij. ʒ. Acetoſæ drach. j. ʒ. Gentianæ unc. ʒ. Boli armenii unc. j. ʒ. Terræ ſigillatæ unc. ʒ. Piperis longi, zinziberis an. drach. ij. Mellis albi deſpumati libr. ij. ʒ. Vini aromatici lib. ʒ. Zuchari roſati lib. j. m. Omnia bene miſceto, bene exſorbeto, bona omnia ſperato. Probatum eſt.

(n) Exemplo eſſe poſſunt, quæ de natura vini fuerant in diſceptationem vocata ab ANTONIO FUMANELLO & BARTHOLOMÆO GAJONO, (quem neſcio cur CLIVANUM dixerit FRANC. BONAFIDIUS in ſuo *de hac controverſia* libro, cum ipſe FRACASTORIUS in *Præf. Op. de Vini Temp.* GAJONUM dixerit,) utroque in civitate Veronenſi medicinam profitente, & cum FRACASTORIO, ut ſuſpicor, vivente familiarius. Humidumne an ſiccum dicendum ſit vinum qualecunque, ob diverſos, quos producit in corpore humano, effectus dubitatum ab utroque fuerat. Illud GAJONO, hoc FUMANELLO placuit. Uterque pertinaciſſime ſuam defendit ſententiam, uterque turpe putavit, herbam porrigere Adverſario. FUMANELLI ea de re libelli multi exſtant, tam contra GAJONUM, quam contra alios, inprimis CONSALVUM BARREDAM, & JOANNEM BAPTISTAM CONFALONERIUM ſcripti. Tandem eo res devenit, ut, qui dicerent in cauſa dubia ſententiam, arbitri conſtituerentur. Binos quisque nominavit ex parte ſua, hac lege accitos, ut amori nihil in judicando, omnia veritati darent. Quæ fuerint ſingulorum nomina, neque attinet ſcire, neque ſcio omnino. In FRACASTORIO maxima erat & ſcientiæ opinio, & fiducia judicii. Itaque ab utraque parte factum eſt compromiſſum, quicquid ille certum juſtumque pronuntiaverit, id æquum ratumque fore. Quæ res etſi honori ſummo ceſſit FRACASTORIO, plena tamen invidiæ fuit & periculi. Diu ſatis, acciperetne, an ſubterfugeret demandatam ſibi provinciam, deliberavit ſecum. Veritatis

ritatis tamen cum intelligeret ea in re cauſam verſari, non eam putavit deſtituendam; ſed, quid de re quaque ſentiat, Philoſophi judicavit, libere & palam pronuntiare. Conſtanti igitur animo judicis impoſitas ſibi partes ſuſcepit, & ponderatis ſingulorum rationibus graviſſimis, palmam victoriamque FUMANELLO detulit. Utque ſententiæ hujus redderet rationem, integro libello, quem *de Vini temperatura* inſcripſit, omnem complexus eſt controverſiam, & eorum, quæ FUMANELLUS propugnaverat, veritatem in luce poſuit meridiana. Eſt hic liber tali indutus habitu, qualem ſolent hodie, quæ ab integro Juriſperitorum ordine dari cernimus, ſic dicta *Reſponſa* præ ſe ferre. Satis pro autoritate omnia. Ab eo putes jus dici, a quo judicem appellare non liceat ſuperiorem. Terrorem procul dubio incuſſere GAJONO verba, quæ ſub finem libelli habentur, graviſſima: *Atque ita propoſitionem ſimpliciter prolatam, & nobis ſimpliciter declarandam propoſitam, falſam eſſe dicimus. Quis enim tam fatuus judex ſit, qui, propoſita ſibi quæſtione, utrum hyems frigida ſit, an calida, calida dicat, quod calefaciat corpora noſtra, & digeſtionem vigoret? aut propoſita quæſtione, an bonum ſit, projicere merces in mare, bonum decernat, quod in tempeſtate ſit bonum?* &c. et quæ ſtatim ſubſequuntur: *Quam ob cauſam, ut tandem ſermonem claudamus, dubii hujus victorem Antonium Fumanellum declaramus & pronunciamus.* Cauſam ita GAJONUS, & cum cauſa forte exiſtimationem perdidit; felicior, ſi non doctior videri FUMANELLO voluiſſet. Dubito, an amicum rebus ſuis habuerit poſtea FRACASTORIUS. Etenim Medicus, etenim homo fuit GAJONUS. FUMANELLUM contra mille puto autori triumphi & honoris ſui oſcula dediſſe. Quis enim non amet eum, quem doctrinæ ſuæ præconem habet? Vix lata hæc a FRACASTORIO fuerat ſententia, & in lucem prodire juſſa, cum novus litibus hiſce ſe judex immiſcuit Patavii, FRANCISCUS BONAFIDIUS, Medicus celeberrimus, neſcio an GAJONI

L ma-

magis, an magis FUMANELLI partibus addictus, qui, lectis illis omnibus, quæ tam a diſceptantium utroque, quam ab eorum arbitro ſcriptis fuerant expoſita, ſuam de ſingulis, neſcio qualem, ſententiam tulit libro, ut dicitur, erudito, quem inſcripſit: *De Diſceptatione orta inter Antonium Fumanellum, & Bartholomæum Clivanum, Medicos Veronenſes, de Vino decertantes, quorum judex Fracaſtorius fuit;* cui locum dedit in *Volumine V Tomi I Operum ſuorum, tribus Tomis editorum*, ſicut teſtatur ANTON. RICCOBONUS *lib. I. de Gymnaſio Patavino Cap. 15. p. 24. edit. in Theſ. Ital. Græv. T. VI. P. 3.* Tetigit etiam hanc controverſiam HERMAN. CONRINGIUS in libro doctiſſimo *de Habitu Corp. German. Sect. II. Cap. 3. §. 78. p. 341.*

(o) FRACASTORIUM, poſtquam diu ſatis operam ſuam præſtiterit Concilio Tridentino, domum reverſum eo eſſe animo, ut procul ab omni ſtrepitu, procul ab iis negotiis, quæ dies noctesque fatigare ſolent Medicos, tranquilla frueretur ſenectute, & Muſis vacaret amoenioribus, relatum legimus in *Vita Frac. ab Aut. Anon. edita. p. 7.*

§. V.

Ad exquiſitam artis ſalutaris peritiam vir maximi ingenii, Fracaſtorius, vel graviorum omnino, vel amoeniorum certe ſcientiarum ſtudia adjunxit. Nullum enim eſt dubium, fuiſſe eum divinioris ſapientiæ, quam Philoſophiam vocant, egregie innutritum præceptis, & inter principes ætatis ſuæ Philoſophos locum obtinuiſſe haud ultimum. (a) Cumque a prima ætate ſingulari Mathematicas diſciplinas complexus amore eſſet, & in ſiderum inprimis orbisque univerſi contemplatione oculos mentemque ſuam defixiſ-

ſet; tantam ipſe, poſtquam ad maturiorem pervenit ætatem, cum Aſtronomiæ, (b) tum Coſmographiæ (c) conſecutus eſt laudem, ut, qui ante eum longo temporum intervallo ad illuſtrandum hoc doctrinæ genus ſe converterant, horum longe multumque ſuperaſſe diceretur gloriam. Acceſſit huc earum literarum, quas blando nomine humaniores dicimus, præclara & admirabilis cognitio, in qua neſcio an temporibus illis majori quisquam cura verſatus ſit & induſtria. Nimirum in reſtituendo priſci Latii honore elaboravit mirifice, & cum inſigni orationis copia & gravitate (d) poeticam facultatem atque incomparabilem carminis elegantiam venuſtatemque (e) conjunxit. Nam quod ad divinam ejus & ab ingenio vulgi remotiſſimam in cantando vim & gratiam attinet, conveniunt in eo omnium, quotquot has amant literas, judicia, anteiſſe Fracaſtorio, quoad vixit, hac laude neminem, (f) æquales fuiſſe pauciſſimos, & in numeris ejus carminibusque ſingulis expreſſam Virgilianæ majeſtatis reperiri imaginem. (g) Qua de re dubitare neminem ſinunt æterna ejus & noſtris majora præconiis carmina, compoſitiſſima *Syphilis*, (h) ornatiſſimus *Joſeph*, (i) plenus leporis artisque *Alcon*, (k) & ſelecta quæque alia, (l) ita prorſus comparata, ut vel rigidiſſimis cenſoribus (m) abundantiſſimam admirandæ ſingularis, quam

præ ſe ferunt, ſuavitatis & præſtantiæ ſuppeditaverint materiam.

(a) Philoſophi illuſtris acutiſſimique elogium datum eſt FRACASTORIO a ſcriptoribus quamplurimis, ut JAC. AUG. THUANO *lib. XII. Hiſtor. ad ann. 1553. p. m. 576*, NIC. REUSNERO in *Icon. ſub lit. o. 1*, JO. JAC. BOISSARDO in *Icon. p. 129*, JO. MATTHÆO TOSCANO in *Peplo Ital. lib. III. p. 73*, TORELLO SARAYNA *lib. II. de Amplitud. civit. Veronæ p. 9.* aliis. Atque id jure quidem. Etſi enim ejus philoſophandi ratio longe diverſa ſit ab ea, qua noſtro ævo utimur, neque ea omnia meditando aſſecutus ſit Noſter, quæ poſtea temporis continuo pertinaciſſimoque ſtudio aſſecuti ſunt viri maximi quique; tamen, ſi ex ætatis, qua profeſſus eſt Philoſophiam, indole de doctrinæ ejus pretio exiſtimetur, ſat magnos ipſe in Philoſophia progreſſus feciſſe dicendus eſt. Neque enim fugit quenquam, quantis involuta tenebris, quam inculta, quam rudis omnium ſcientiarum paulo ante ætatem FRACASTORII omnis fuerit Italia, quam contemtum vulgo, quam plane ignoratum fuerit literarum nomen, quam turpe putatum ſit, ſcire quicquam, quam glorioſum, ignorare omnia. Quæ cum artium ac literarum omnium communis eſſet calamitas, Philoſophiæ inprimis propria & quaſi peculiaris fuit. Feliciore tandem emergente ſidere, & pedetentim ad ingenium ſenſumque ſuum redeunte Italia, factum eſt, ut de Philoſophiæ quoque ſuſcitando honore cogitari paulatim coeperit, lentis tamen, ut proclive eſt creditu, conſiliis, & labore poſt multas demum hominum ætates abſolvendo. Eo certe tempore, quo FRACASTORIUM ſubiit doctrinæ ſanioris illuſtrandæ cura quædam, tantum abeſt, ut in ſuo jam faſtigio effulſerit Philoſophiæ decus, ut adhuc veluti in herbis fuerit, poſt longas demum hominum ætates in dignitate & nitore quodam collocandum. Satis igitur præſtiturus videbatur Noſter, ſi unum id ageret, ut evocata e tenebris

nebris ſuis veterum Philoſophorum præcepta in luce ponerentur quotidiana, & ad captum rudioris plebis accommodata, priſcæ, quam perdiderant fere, reſtituerentur dignitati. Ea enim in re licet ante FRACASTORIUM pro virili parte elaboraverint Italorum ſat multi, FICINUS, PICUS, POLITIANUS, alii; fieri tamen haud potuit, ut illi omnia Philoſophiæ, ſcriptis veterum comprehenſæ, penetralia recluderent, ſed, cum ampliſſimus illius eſſet ambitus, plurima ſtudioſius indaganda atque explicanda reliquere poſteris. At non hac ipſa tantum opera egregie perfunctus eſt FRACASTORIUS, in ARISTOTELIS inprimis lectionem explanationemque totus incumbens; ſed, propriam cujusque rationem in philoſophica rerum cognitione eſſe arbitratus adhibendam in conſilium, majora etiam tentavit ipſe, & in eorum, quæ tradita ſunt ab antiquis, veritatem judicio ſubtili inquiſivit, nihil illorum deterritus autoritate, quin errores ab iis propugnatos notaret diligenter, &, quantum in ipſo eſſet, accurate emendaret. Qua in re tanto meliora ab eo poterant expectari, quanto ſanioribus fuerat a POMPONATIO præceptis inſtitutus. Hujus enim quis ſcire ſe neget præclara de omni Philoſophia merita? Neque tamen huic ipſi ſerviliter adhæſit Noſter, ſed, ubi veriora ipſe ſibi inveniſſe viſus eſt, ab eo non ut diſcipulus, ſed ut Philoſophiæ ſectator ſtrenuus diſſenſit. Loquuntur ejus in his ſtudiis doctrinam & generoſam in judicando libertatem tam ſcripta, quæ edidit, fere omnia, (noverat enim, in re quaque pertractanda multum valere argumenta philoſophica,) quam ea inprimis, quæ *de Intellectione & de Anima* ſcripta ab eo ſunt in Dialogo. In illis ſtudioſiſſimum ſe præbet metaphyſicæ ſubtilitatis, et, quæ profert, ſingula Philoſophorum veterum plane doctrinam exercitationemque redolent. Graviter hic & copioſe de mentis humanæ operationibus diſputat, harumque varia genera, cauſas, modos, & effectus ſingulares, partite, definite, & diſtincte exponit, ſingula hæc communi *intellectionis* vocabulo comprehendens. Hanc enim non eſſe animam, quæ

 intelli-

intelligit, neque objectum, quod intelligitur, neque ſpeciem, qua fit intellectio, ſed illam ipſam repræſentationem objecti, quæ menti noſtræ obverſatur, & animam ſenſusque omnes afficit, unanimi Philoſophorum comprobat ſuffragio. Inde, refutata eorum ſententia, qui animæ actionem quandam tribuerunt in intelligendi negotio, vias dilucide modosque oſtendit, quibus objecta quæque a ſenſibus externis ad interiora mentis intelligentis receptacula transferantur; ſimulque oſtendit, eandem prorſus ſpeciem, ut vocant Philoſophi, ſeſe menti offerre, quæ repræſentata antea fuerat ſenſibus; modo tamen diſſimili admodum ac plane diverſo. Ulterius progreſſus, primam & ſimpliciſſimam interioris animi operationem *ſenſum communem* conſtituit, isque cur appelletur *communis*, inquirit, quid ſpiritus animales ad illum conferant, quid iidem ad perſpicuam rerum per ſenſus perceptarum repræſentationem, ſolerter & explanate definit. Alteram mentis noſtræ operationem *ſubnotionem* vocat, novo plane vocabulo a Philoſopho noſtro ſic dictam, cum *Phantaſiæ* nomine inſignita fuerit ab ARISTOTELE, quæ ipſa tamen ob immenſam amplitudinem ſuam, & claram ſatis rerum obviarum comprehenſionem, a ſimpliciore & minoris virtutis operatione, quam *ſubnotionem* appellat, FRACASTORIO videtur diſtinguenda. Huic proxime jungit aliam *ſubnotionem*, quæ ipſi dicitur *ſecunda*, ſeu notiori nomine *Imaginatio*, & componendi vel dividendi, affirmandi vel negandi, numerandi & addiſcendi, imaginandi & recordandi, atque ſingula pleno obtutu introſpiciendi partibus fungitur. Cuncta hæc copioſius perſequitur, &, quo nexu ſingula inter ſe cohæreant, quid *affirmare* ſit, quid *negare*, quæ *memoriæ* ratio, cur alii alios præſtent his facultatibus, quibus remediis ſuccurrendum illarum imbecillitati, denique quid ſit abſtrahere, & quomodo res aliqua in intellectu fieri poſſit univerſalis, perquam dilucide oſtendit. Tum pedem promovet ad iſtarum mentis operationum nobiliſſimam, quæ Græcis διάνοια, nobis *ratiocinatio*

natio eſt, quæ ipſa homines a reliquis animantibus longiſſime ſejungit, & ad inveniendas præclaras artes regendumque orbem idoneos, quin imagini divinæ reddit ſimillimos. Diſputat hinc de quatuor ratiocinandi modis, *exemplo*, *enthymemate*, *inductione*, & *Syllogiſmo*, hisque negat inveniri poſſe plures. Sigillatim ſingulos expendit, &, quantum inter ſe gradu differant, luculentis exemplis illuſtrat. Docet inde, quid verum & falſum, quid credere & non credere, quid dubitatio, quid certum, quid neceſſarium, quid probabile ſeu apparens, quid opinio & ſcientia, quid voluntas & appetitus, quid virtus & ars, quid admiratio, cogitatio, compoſitio ac reſolutio, denique quid ſit inſtinctus naturæ, & unde contingat ſæpius, ut in ratiocinando intellectus ſe ipſum fallat, & a veritate longiſſime aberret. Addit his multa de ſomno tam naturali, quam violento, de ſomniis, horumque divinatione a cauſis naturalibus non ſemper arceſſenda, (ubi lectu inprimis digniſſima ſunt, quæ de M. ANT. FLAMINII & PETRI BEMBI miri eventus ſomniis non vano rumore accepta refert,) de vigilia, inſania, amentia, melancholico humore, de nervis in cerebro ad intelligendum deſtinatis, de viſus & reliquorum ſenſuum inſtrumento, de diverſis hominum ingeniis, ſtudiis, & inclinationibus, deque naturali Philoſophorum, Poetarum, Mathematicorum, Muſicorum, ſcurrarum gerrarumque diſpoſitione. Habes in compendio, quæ de Intellectione humana libris binis complexus eſt Philoſophus noſter. Legenti cuique patet, maximam eorum partem cum ARISTOTELIS de intellectus noſtri viribus ſententia egregie convenire. Acceſſere tamen haud pauca, nec ARISTOTELI olim, nec Philoſophorum, ſive veterum, ſive recentiorum, ulli diſputata antehac. Fidem dictis noſtris habebit, quisquis in legenda hac FRACASTORII opella, non adeo jejuna & exſucca, horas aliquot collocaverit, & momenta ejus omnia accurate diligenterque ponderaverit. Libellus alter generatim agit de Anima, tam

ea,

ea, quæ animantibus ſingulis vitam & calorem præbet, quam quæ hominum eſt propria, ceterisque multo nobilior habetur atque excellentior. Dubito, an is ad palatum futurus ſit illis noſtri ſeculi Philoſophis, quibus nihil placet in rerum non Philoſophicarum tantum, ſed quarumcunque tractatione, niſi quod ex clariſſimis certiſſimisque petitum principiis, telis nullis, nullo argumentorum robore poſſit impugnari, & plane ſit, ut vocare amant, demonſtrativum. Hos enim ipſe a lectione libelli ſui ſevere verbisque graviſſimis arcet FRACASTORIUS *ſub init. libri. De animo noſtro,* inquit, *cum futurus ſit ſermo, præparandus prius ille eſt, ut de ſe ipſo verba audiens bene recteque audiat, - - deinde ut & duritiem ſeveritatemque illam vel Stoicam, vel etiam Peripateticam exuamus, ut nihil velimus admittere, niſi quod iis rationibus aſſertum comprobatumque fuerit, quas demonſtrativas conſuevimus appellare. In omnibus enim illas expetere, injuſtum profecto eſt.* Fatendum tamen eſt, omnem ab eo navatam operam, ut, neglectis iis, quæ ſolam veritatis haberent ſpeciem, veris omnia certisque, ſi fieri id poſſet, rationibus muniret. Dicitur hic liber, cum potiſſimam ejus partem faciant, quæ de animæ humanæ immortalitate differuntur ibi, oppoſitus POMPONATIO, præceptori FRACASTORII, quem fama olim fuit libro ſuo *de Immortalitate animæ humanæ* omnem animæ noſtræ dignitatem iviſſe oppugnatum. Cum vero explorata ſatis res ſit, a POMPONATIO id unum actum, ut, rationes ab ARISTOTELE prolatas in *libro I. de Anima* ad probandam animæ immortalitatem haudquaquam ſufficere, oſtenderet, FRACASTORIUS autem plura & graviora, quam ARISTOTELES, eam in rem argumenta congeſſerit, & ſuo in ratiocinando uſus ſit ingenio; parum, meo judicio, ad POMPONATIUM ſpectare dicta FRACASTORII videntur. Hujus, ut paucis rem omnem expediam, eo redit ſententia, homines cum angelis ita creatos eſſe, ut cognoſcere creatorem ſuum, ut perpetuo contemplari, amare, colere, atque imitari poſſint; in

eo

eo ſummam eorum poſitam eſſe felicitatem; voluiſſe Deum, ut, qui ipſum cognoſceret, hac cognitione delectari in omne ævum poſſet; datum id eſſe angelis, etſi eorum natura longe ſit imperfectior divina; nullam fuiſſe cauſam, cur non idem daretur homini, utpote ab angelis non niſi corpore & exiguo intellectionis gradu diſtincto; conjungi cum re corporea, hoc eſt, mortali, a creatore potentiſſimo ſapientiſſimoque facile potuiſſe rem incorpoream, ita comparatam, ut æternum viveret, &, ſoluta corpore ſuo, angelorum conſequeretur immortalitatem. Alia deinde colligit ex motu animæ, qui per ſe contingit, & a motu, qui in rebus ceteris per accidens ineſt, multum differt; Peripateticorum de animæ immortalitate ſententiam operoſe exponit, & ſubtiliter dijudicat; eorum denique, qui negant immortalitatem animæ, ſpecioſiſſima nec exigui momenti argumenta ſtrictim percenſet, graviterque diluit. Quæ omnia cum non ex meris Scholaſticorum tricis, ſed ex ipſis Philoſophiæ ſublimioris hauſta ſint fontibus, ſatis ſuperque declarant, Philoſophorum numero eximendum FRACASTORIUM non eſſe.

(b) Magni æſtimata a FRACASTORIO ſtudia Mathematica, vix ſibi perſuadeat, qui verba ejus, non ſine quadam Mathematices contumelia prolata, legerit *ſub init. lib. I. Dial. de Intellect.* Ita enim ibi: *Mathematicæ* (diſciplinæ) *tametſi certitudinem quandam præſtant, & multa etiam docent; circa tamen humilia quædam & haud magni facienda verſantur.* Moverent hæc mihi profecto ſtomachum, ſi Mathematicam profiterer. Parum aberat, quin diceret plane, puerilia tractare Mathematicos. Horrendum ſcelus! ſiquidem in rebus graviſſimis nobiliſſimisque ſe occupari, & in res diſciplinasque omnes ſibi jus eſſe, acriter contendunt viri illi boni ac venerabiles. Imperare mihi non poſſum, ut ſerio hæc dicta putem ab homine rerum Mathematicarum amantiſſimo. Suo enim ipſe exemplo docuit, in unoquoque doctrinæ genere capi inſigne ex Matheſi emolumentum poſſe. Certe in iis diſciplinæ hu-

jus partibus, in quibus ad numeros & menſuram res omnis redit, FRACASTORIUM non fuiſſe hoſpitem, ſcripta ejus teſtantur pleraque, in quibus mathematica ſæpiſſime concludendi ratione & argumentis uſus eſt ejusmodi, quæ in definiendis rerum proportionibus & emetiendis locorum diſtantiis multum utilitatis præſtare ſolent Geometris. Et ſi partem Matheſeos Aſtronomiam dicis; non video, cui majori jure glorioſum Mathematici nomen tribuendum ſit, quam FRACASTORIO. Nam fuit hæc ex earum numero ſcientiarum, quibus totum ſe dedidit, nec horas tantum ſubſecivas, ſed maximam vitæ ſuæ partem impendit FRACASTORIUS, merito hinc *Aſtrologiæ omnis peritiſſimus ab Aut. Anon. Vitæ Frac. p.* 7, & JAC. AUG. THUANO in *Hiſtor. lib. IV. ad ann. 1547. p. m. 207*, & *Aſtrologus eminentiſſimus* vocatus a NIC. REUSNERO in *Icon. ſub lit. o. 1.* Venuſtum eſt BASILII ZANCHII, quo luſit in FRACASTORIUM Aſtrologum, carmen in NIC. REUSNERI *Icon. l. c:*

Fraſtori venerande, Deûm te munere gaudet
Italia, & Grajum provocat omne decus.
Mirantem te perſpicuo deduxit olympo
Uranie, & cæli ſidera noſſe dedit. &c.

Nimirum in ea FRACASTORIUS fuit ſententia, nobiliſſimam exiſtimandam eſſe hanc ſcientiam, & dignam, quæ inter præcipuas cenſeatur, tum quod circa cælum & divina illa verſetur corpora, quæ ſidera appellamus, tum quod Mathematicæ diſciplinæ ſubjecta, ex certiſſimis magna ex parte ratiocinetur, ut patet ex *Præfat. ejus ad Homocentrica.* Proſequendi hæc ſtudia occaſio frequentiſſima data fuit FRACASTORIO in monte Caphio, ita a natura comparato, ut in ſummis ejus faſtigiis ſpatioſiſſimæ cæli regiones commode circumſpectari poſſent. Huc cum animi cauſa frequenter diverteret Noſter, invitatus amoenitate & ſalubritate loci; ne in otio honeſto otioſe viveret, Muſis ſuis in ſolitarii receſſus ſocietatem vocatis, alia alio

tem-

tempore agens, crepuſcula noctesque continuas in ſolerti cæli ſiderumque contemplatione transegit, teſte JO. IMPERIALI in *Muſ. Hiſt. p. 16*, & *Aſtrologiam ſcientiſſime pertractavit*, ut verba ſunt FRANC. POLÆ in *Elog. Frac. l. c.* Hic igitur, tanquam ex ſpecula, non ſolum futuras proſpiciens tempeſtates, ſed propriam etiam cujusque ſideris regionem motumque probe animadvertens, eam rerum cæleſtium comparavit ſibi notitiam, ut, quæ incognita ante, aut lippientibus eorum, qui plagas cæli perquiſiverant, oculis obſervata fuerant, melius ipſe rectiusque definire, & magno eruditorum plauſu res ſupra orbem terreſtrem conſtitutas ſciverit explicare. Nam cum divina ejus in judicando vis eſſet, & aſſidua meditatione, quæ multum valet in hoc ſtudiorum genere, nihil non poſſet exquirere, penitusque cognoſcere; eorum, quæ ad ornandam illuſtrandamque hanc ſcientiam pertinent, defuiſſe ei dicendum eſt prorſus nihil. Unde nec judicio ſuo fallitur THUANUS, qui præclare de FRACASTORIO *lib. XII. Hiſtor. ad ann. 1553. p. m. 576*: *Ad exactam Mathematicarum artium, ac præcipue Aſtronomiæ, quam & doctiſſimis ſcriptis illuſtravit, cognitionem ſummum judicium, & admirabile ingenium attulit, quo multa ab antiquis aut ignorata, aut ſecus accepta adinvenit, & explicavit.* Conf. & TEISSIERIUS in *Elog. T. I. p. 169.* Dum ſcripta FRACASTORII Aſtrologica memorat THUANUS, *Homocentrica* ejus procul dubio (plura enim non extant) intelligit, profundæ eruditionis opus, magno compoſitum ingenio, doctrina refertum multiplici, ſingulari limatum induſtria. Ex hoc velut ungue leonem diſcas. Exiguo libello, quicquid in re Aſtronomica ſublime ac divinum eſt, complexus videtur FRACASTORIUS. Certe ſi ex illa, qua ſcriptus eſt, ætate æſtimetur, plane incomparabilis dicendus eſt. Nihil vulgare in eo, nihil ſeculi tenebris infuſcatum, nihil per ſomnum, aut inani conjectura ementitum. Videas ubique in rerum graviſſimarum conſideratione occupatum Aſtronomum, videas univer-

ſas cæli partes ſpeculantem, videas quaſi per ipſa ſidera errantem, & ſingulorum curſus ordinesque curioſius notantem. Ita non potuit non facile contingere, ut in multis ſitum alium, vias cauſasque alias deprehenderet; ac deprehendiſſe ſibi viſi fuerant ante FRACASTORIUM quamplurimi. Si quis ſit, qui nimium me Operis Fracaſtoriani laudatorem putet, is, velim, graviorum judicum colligat ſententias, & ex illis, quam parum hactenus dederim amori FRACASTORII, intelligat. Unum proferam exempli loco M. ANT. FLAMINIUM, ingentis famæ Philoſophum; quo audito, negabis, opus eſſe pluribus. En, quam eleganter ille & honorifice de FRACASTORIO in *Paraphraſi in Ariſtotelis lib. XII. de prima Philoſophia. p. 45. edit. Pariſ: Agendæ ſunt immortales gratiæ Hieronymo Fracaſtorio, viro omni liberali doctrina politiſſimo atque perfecto, qui, cum a Turriano, homine ſibi amiciſſimo, nonnulla ſemina ejus diſputationis accepiſſet, ex iis pulcherrimos atque uberrimos foetus propagavit, edito libro divino & plane cæleſti, in quo eorum omnium, quæ in curſibus ſtellarum admirabilia, & quaſi contra rationem accidere videntur in cælo, tam luculente, tamque ſubtiliter cauſas perſecutus eſt omnes, ut ex iis locis veniſſe, non ut eas ipſe reperiſſe videatur, ita omnia quaſi ante oculos ponit, ita nihil unquam occurrit, quod cum phyſicis rationibus & principiis, ac progreſſionibus naturæ, non mirabiliter conſentiat. Itaque magni hujus viri admirabile ingenium & excellentiſſima doctrina Aſtrologiæ Philoſophiæque diſciplinas, multa jam ſecula graves inimicitias inter ſe gerentes, feliciſſime reconciliavit, easque tam arcto neceſſitudinis vinculo conglutinavit, ut nullius ingenii calliditas unquam futura ſit tanta, quæ poſſit amplius earum amicitiam diſſociare. Quocirca ſi ſententias Eudoxi, & Callippi, atque iis etiam longe meliora de numero globorum cæleſtium, deque disparibus eorum motionibus intelligere aveas, oſtendimus tibi fontem, unde poſſis uberrimam earum rerum haurire ſcientiam, & honeſtiſſimam ſitim admirabili cum voluptate reſtinguere.* Neque

fore

fore quenquam puto, qui non in eo cum FLAMINIO conſentiat, opus hoc ob varium & multiplicem, quem attulit ei FRACASTORIUS, ornatum omni laude eſſe digniſſimum. Dedit inprimis operam Noſter, ut rationibus ex rerum naturalium ſcientia petitis, quas ſecure antehac neglexerant Aſtronomi, robur nervumque adderet iis, quæ de motu & conditione ſiderum diverſa ipſi fuerant explorata. Negavit enim quenquam dici poſſe Aſtronomum, qui non ſcrutatus diligenter naturam ſit, nec cognitionem iſtam cum aſtrorum ſpeculatione arctiſſime conjungeret. *Quod ſi quædam*, ait *Cap. 1. Op. huj. a naturali Philoſophia nobis petita fuerint, nemo exiſtimet, aliena nos perſequi. Quin Aſtronomia partim quidem mathematicæ diſciplinæ, partim & naturali ſubjecta eſt.* Multis eo gratior erit libellus, quo magis a veterum veſtigiis remotus, & in nova ſtellarum omnium formanda oeconomia fuit occupatus. Mireris, tenebricoſa illa ætate fuiſſe aliquem, qui ſuo tantum confideret ingenio, ut in rebus ſubtiliſſimæ disquiſitionis majora, quam priſci Philoſophi, tentaret, & in veritatem inquirendi rationem iniret plane a veterum inſtituto alienam. Sed ita fuit ingenium FRACASTORII, ut ſervile haberet nihil, & nobili quadam gloriæ cupiditate incenſum, ſuæque virtutis conſcium, multum operæ poneret in veritate ab ineptis hominum commentis liberanda. Qua in re ſuo ſatisfecit officio, idque ipſum præſtitit, quod omnibus hominibus incumbere, ſapientiores intelligunt. Non ita omnia ſcire datum majoribus noſtris, ut, qui noſtris temporibus nova excudere laborant, hi omnem perdere operam dicendi ſint. Stipites illos, quibus per ſe deteſtabile videtur novitatis nomen; quaſi nempe annis & longinquitate ſeculorum metienda eſſet veritas. Sapienter dicta puto, quibus ſuos, ſi qui forent, obtrectatores objurgavit Noſter *ſub finem Præfat. ad Homoc: Quosdam fore ſcio, quos novorum orbium numerus multiplicitasque offendat: - - Verum in iis, quæ nova in lucem veniunt, æquum eſt, non ab autori-*

toribus ſumendum eſſe judicium, ſed ab iis, quæ ſcribuntur. Quæ lecta intellectaque ſi recte tradita fuerint, delectare potius, quod nova ſint, quam odio haberi debent. Adverſari vero majoribus noſtris ea in re liceat nobis, in qua & ipſi majoribus eorum & philoſophiæ omni, ac ipſi demum naturæ ſunt adverſati. Age vero, quid rei novæ ſit in hoc libello, exquiramus paululum. Vexaverat a multis temporibus ingenia Aſtronomorum difficilis eorum, quæ circa ſidera apparent, conſideratio. Multa in oculos incurrerant; at ſingulorum cauſas dicere, & diſtincte explicare, Aſtronomi res videbatur perſpicaciſſimi. Quicquid igitur eam in rem prolatum hinc atque illinc fuerat a plurimis, dubitatione non caruit penes prudentiores. Duplicis maxime generis auditæ fuerant Aſtronomorum opiniones. Alii ad orbes illos, qui vocantur *Homocentrici*, alii ad eos, quos *Eccentricos* appellabant, omnem redire ſideralem ſcientiam, conſtanter aſſeveraverant. Illorum principes EUDOXUS & CALLIPPUS, horum fuere HIPPARCHUS, PTOLEMÆUS Phæludienſis, atque alii. Major longe copioſiorque eorum, quibus orbes *Homocentrici*, quam quibus *Eccentrici*, placerent, turba fuit; ita, ut ætate FRACASTORII vix quiſquam eſſet, qui ab his ſeceſſionem facere auderet. Utraque ſententia maximis difficultatibus vitiiſque laborabat. Illa in ancipiti poſita, quod apparentia circa ſtellas demonſtrari per eam non poſſent; hæc facilioris quidem demonſtrationis, at iniquæ nimis, & cum quadam conjunctæ impietate. Satis ita, quid reprehendendum in ſingulis, conſtabat inter Aſtronomos; ſed, qui meliora traderet, inventus nemo fuerat. Tandem JO. BAPTISTA TURRIUS, civis & amicus FRACASTORII, *maximi ac pæne divini ingenii vir, & ſecretioris cujusdam Philoſophiæ cultor*, uti vocatur Noſtro in *Præf. ad Homocentr.* diuturna meditatione hoc aſſecutus eſt, ut duos in ſphæris cæleſtibus motus inveniret, antehac prorſus ignoratos, quibus uteretur ad cognoſcendam univerſam cæli machinam; & ad ea inprimis, quæ circa ſtellas

animad-

animadvertimus, abſque ullis eccentricis demonſtranda. Hos, cum in eo eſſet, ut communicaret cum eruditis, ampliſſimisque illuſtraret ſcriptis; ad ipſa ſubito ſidera evocatus, coepto invitus deſtitit negotio. Moriturus autem adſtantem amicum, FRACASTORIUM, magno ſtudio rogavit, Turrianæ memoriæ amicum ſe præberet, & ab interitu vindicaret ea, quæ non ſine maximo labore & Aſtronomicæ doctrinæ commodo ipſe olim excogitaverat. Quod officii genus cum negare haud poſſet Noſter amico immortaliter de ſe merito, ſuaſu etiam & conſilio JOANNIS MATTHÆI GIBBERTI, Veronenſis Epiſcopi, ad id excitatus; curam cogitationemque omnem in ſtudia Aſtronomica convertit, coeptumque a TURRIO opus præſtantiſſimum tam perfecit egregie, ut non ſolum inventa ejus ſingula, ſolidis principiis innixa, in elegantem quandam concinnamque formam redegerit, & erudito, quem *Homocentrica* inſcripſit, libello complexus ſit, ſed illis etiam præclara multa, a TURRII ingenio quodammodo diverſa, adſperſerit, planius quædam diſtinctiusque expoſuerit, quædam limatius poliverit, atque ſic graviſſimo & poſt hominum memoriam utiliſſimo labore feliciter ſit perfunctus. Hæc leviter commemoraſſe ſufficiat, ne, per ſingulas libri paginas eundo, & univerſa, quibus novam ſententiam confirmavit Noſter, dinumerando argumenta, rem agere huic parum accommodatam inſtituto, aut ab ipſa operis egregii lectione diligentes, quibus hæc ſcribimus, Aſtronomiæ ſectatores videamur avocare.

(c) Cum ſatis inter omnes conſtet, Aſtronomiæ & Coſmographiæ ſtudia commune quoddam habere vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe contineri; non eſt, cur miremur, utriusque ſcientiæ æquali captum amore, nec minori ſtudio in orbis hujus terreſtris, quam cæleſtis, cognitione deſudaſſe FRACASTORIUM. Manifeſtius tamen, quid in Aſtronomia, quam quid in Coſmographia, præſtiterit, ex ſcriptis ejus cognoſcimus. Parum enim in his ad rerum terreſtrium noti-

notitiam, &, ſi qua ſunt, ita videntur comparata, ut exigua ſcribendis illis opus fuerit artis Coſmographicæ peritia. Unde animi magis cauſa, quam ut hac ſcientia jactaret ſe coram eruditis, id ſtudiorum genus a FRACASTORIO tractatum puto. Conjicere illud vel ex eo poſſis, quod in Caphio maxime ſeceſſu horas otio deſtinatas Coſmographicis negotiolis conſumſerit, ut refert JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 16*, & FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* Utque oſtenderet, non deeſſe ſibi ad hæc ſtudia ingenium, ipſe manu ſua fabricatus eſt ſingulari artificio globos ligneos, quibus univerſi orbis ambitum ad amuſſim deſcripſit, &, locorum omnium regionumque intervallis & dimenſionibus notatis, elegantem hujus, quem inhabitamus, machinæ imaginem repræſentavit. Cujus rei teſtes ſunt JO. IMPERIALIS *l. c.* & FRANC. POLA *l. c.* Eundem laborem inſumſit tornandis novi orbis, a Luſitanis olim & Chriſtophoro Columbo detecti, globulis minutioribus, in quibus artem fuiſſe ſingularem, teſtatur HIERON. GHILINUS in *Teatr. d' huom. letter. ſub Frac.* Plenius de his edoceat Lectores *Autor Anon. Vitæ Frac. p. 5*, qui optimam eorum, ut videtur, habuit notitiam. *Ex mitioribus*, inquit, *omnibus diſciplinis*, *in unam Coſmographiam incumbebat: quam tanto ſtudio colere conſueverat, ut, gravioribus quandoque ſtudiis intermiſſis, terrarum omnium ab Luſitanis primum in oriente, mox a Columbo in occidente noſtro ſeculo inventarum deſcriptiones, & loca, ligneis orbibus ad amuſſim affabre factis, altitudinum & latitudinum adhibitis dimenſionibus delinearet.* Fabrorum genus, ſi quodquam aliud, nobiliſſimum, & a grege communi ſeparandum longiſſime.

(d) Ne quicquam eorum, quibus virtutis & exquiſitæ doctrinæ laudem reddere poſſet illuſtriorem, temere videretur neglexiſſe; peragratis ſublimiorum ſcientiarum campis ſpatioſiſſimis, in ſuaviora Muſarum vireta ſe contulit, &, ut priſcam Romanorum eloquentiam oratione exprimeret, multum tem-

temporis lectitandis Autoribus Latinis impendit FRACASTORIUS. Neque tamen unquam ei fuit in animo, tumido illi hominum generi, quos magnifico nomine Criticos aut Grammaticos, aut, ſi mavis, Dictatores verborum appellamus, umbratilis doctrinæ gloriam præripere, & faſtidioſis verborum ac literarum contortionibus inſeneſcere. Haud enim ad delirationes ejuſmodi ſuppetebat ei otium, quippe nobilioribus negotiis diſtento; neque, ſi in his nugis annos conſumeret, facturum ſe aliquid putabat, quod ſit operæ pretium. Intelligebat etiam, eorum, qui in has tenebras ſtudiorum ſe conjecerant, copiam jam eſſe tantam, ut ſua facile carere illi ope poſſent. Satis igitur habuit, ſi id impetraret diligenti Autorum lectione, ut ne barbara eſſet, qua uteretur in ſcribendo, dictionis ratio, ſed ubertate quadam & elegantia ſe probaret legentibus. Id quod præſtitum ab eo eſt (ſi quid meum valet judicium) tam feliciter, ut, cum primum libros ab eo editos propius cognoſcere mihi datum fuit, in eam adductus ſim opinionem, nihil ſcribi illis temporibus potuiſſe rotundius, nihil ornatius, nihil, quod magis deceret virum doctum, civem Italum, Medicum in arte ſua non vulgariter verſatum. Etſi enim odioſos & exquiſitos nimis, quibus pingunt ſermonem Rhetores, colores parum curavit, rebusque magis, quas pertractaret, quam verbis, quibus ornaret res quasque, intentus fuit; operam tamen dedit, ut nativus orationi lepor, non adſcitum decus, mollis gratia & concinnitas ineſſet, aptus & naturalis dictorum ordo, aperta ſententiarum perſpicuitas, gravis verborum circuitus & quaſi orbis eſſet, & ſuis omnia adſtricta numeris, legentium maximopere aures animosque permulcerent. Abundavit adhæc mira ſermonis latini copia, ita, ut, quæ difficilius reddi latine, nec ab antiquis peti poſſe ſcriptoribus viderentur, qualia non poterant non in ſubtilioris argumenti ſcriptis ejus obvenire bene multa, verbis noſſet dilucidis, aptis, & latinis maxime exprimere; tantum abeſt, ut quicquam hic

valeat calumnia ANT. TEISSIERII, Romanæ linguæ inopiam exprobrantis FRACASTORIO in *Elog. des hom. ſav. T. I. p. 173.* Neque tamen diſſimulandum, vel ſeculi labem, vel rerum, quæ ſcribendi materiam dedere, inamoenam ſubtilitatem in cauſa interdum fuiſſe, ut immemor ſui, & artis ſuæ deceptus barbarie, horridis & invenuſtis orationem vocabulis ac dictionibus deformaret, & ab ea, cujus ſæpius præbuit ſe amantiſſimum, multum degeneraret ſermonis elegantia. Quod etſi facile condonari poteſt homini graviſſimis meditationibus quaſi ſepulto, & rebus dictu difficillimis implicato; limatiſſimis tamen ſcriptis ejus quandam omnino maculam adſpergit, faſtidiumque parit delicatis auribus. Quis enim, niſi forte inter barbaros natus, tolerare facile poſſit illa portenta verborum, *acuitas*, *fabulamentum*, *putrefactio*, *alteratio*, *certitudo*, *infectio*, *ſolutivus*, *imputreſcibilis*, *mundificus*, *ſcarificus*, *incorruptibilis*, *factivus*, *adfavere*, *ubi aliquantisper* (a nobis) *immoratum eſt*, *unusquisque oportet*, & ſimilia, quæ noſtri quidem ſeculi Medicis deamari & in elegantiis poni ſcio, a FRACASTORIO vero, politioris ſermonis alioqui ſtudioſiſſimo, in pretio quodam habita, & reclamante Latio uſurpata, miror fere, & plane doleo. Sed hæc artis culpa ſit, adeo moroſæ, ut ne cives quidem Latinos, omni ſermonis copia inſtructos, loqui latine patiatur. Superſunt tamen, quæ ſine nota dimittere non poſſum, alia, ejus ſcilicet indolis, ut ſoli imputanda videantur FRACASTORIO. Quis neſcit, a ſimplici & continuo ſcribendi genere multum differre poeticam per Dialogos ſcribendi rationem, atque ei, qui de re gravi diſputare per colloquia inſtituit, illud eſſe cumprimis agendum, ne ſeveram docentis perſonam induat, ſed ut rem, per ſe nimis gravem, verborum ſententiarumque floribus conſpergat, & molli ſermonum conjunctione jucundiorem ſuavioremque efficiat; quod egregie, ut ſcimus, in ſuis Dialogis præſtitere PLATO, LUCIANUS, atque TULLIUS. Memor eſſe hujus legis debebat FRACASTORIUS,

cum

cum ad ſcribendos *de Poetica, de Anima, & de Intellectione*, Dialogos tres animum applicaret. Sterile de anima & intellectione argumentum videbatur, niſi ſalibus aliunde adſcitis condiretur; illi vero de poetica, molli per ſe atque eleganti, non poterat non majorem dare gratiam ſuavitatemque dialogus. At fruſtra quæras id, quod ſuave eſt, in ſingulis. Mihi certe meus hic non ſatisfecit FRACASTORIUS. Docti mehercule libelli ſinguli, & digni FRACASTORII ingenio; ſed tales eſſe poterant absque Dialogo. Omnia in illis agnoſco; id ipſum, quod Dialogi eſt, vehementer deſidero. Quæ ſit virtus Dialogi præcipua, quam occulta illi vis ineſſe debeat, ut placeat lectoribus, dixeris, ignoraſſe bonum Medicum. Si eo demum redit nervus omnis Dialogi & venuſtas, ut interrogationi ſua ſubjecta ſit reſponſio, pulcherrime officio ſuo perfunctus putabitur Noſter; at multum vereor, ne, parum id facere ad delectandum, complures exiſtiment. Deme interrogantis perſonam; Philoſophus ſupererit idem, quem ex cathedra graviter olim dicentem auſcultaſti. Et, ſi promti ad ſomnum oculi ſunt; hic, crede mihi, ſecure dormies. Certe unus ille puerulus, fidibus ſuis & inopportunis cantiunculis, quas immiſcere colloquiis ſolet, vix, puto, reducet te ad alacritatem; aut, ſi reducet, tacente illo, ad ſomnos tuos redibis. Adeo ſine vita & vigore omnia; nullus rerum, quæ ſuavitatem habent, delectus, nulla viciſſitudo; nihil, quod naturam imitetur, & eorum, quos vulgo cernimus de rebus obviis ſermones miſcere, ingenio conveniat. Atque hoc vitio vel maxime laborare Dialogum *de Poetica*, vix, ut credat, imperabit ſibi, qui FRACASTORIUM ipſum novit poetam tam excellentem, cujus partes hæ erant potiſſimæ, ut non tam docte & ſubtiliter de arte ſua, quam dulciter inprimis molliterque diſſereret.

(e) Venio jam ad illud, quod unum, ſi nihil præterea egregium & ſingulare eſſet in FRACASTORIO, efficere quam

maxime poſſet, ut honore ſummo proſequerer memoriam viri incomparabilis, dignumque exiſtimarem, cujus laudes præclaras ampliſſimis poſteritas commendaret monumentis. Inuſitatam ejus in carminibus condendis artem & præſtantiam intelligo, quæ non viventi ſolum admirationem apud omnes gratiamque conciliavit, ſed mortuo etiam illam gloriæ, qua in hunc usque diem inclaruit, peperit immortalitatem. Etenim cum ita a natura comparatum ſuum noſſet ingenium, ut, ſi vellet ipſe, carminis ſuavitate Poetas poſſet ſuperioris ætatis omnes longiſſime poſt ſe relinquere; dandum aliquid ingenio, & jucundo Muſæ Calliopes, dum liceret, fruendum putavit commercio. Exſtititne igitur, dicis, aliquando Medicus, quem non puderet, Poetam dici? Exſtitit ſane, & talis quidem exſtitit, qui dici Poetarum princeps cuperet. Res mira & vix audita antehac. Parum ii, qui pharmaca & emplaſtra amant, laurum curare Heliconiam ſolent; parum hæc ad palatum illis, parum ad ſtomachum. Non me fugit, quantum operæ, ut in Parnaſſo locum daret Medicis, inſumſerit THOMAS BARTHOLINUS, ipſe Medicus, edito *de Medicis Poetis* libro ſingulari; ſed illud etiam ſcio, fruſtra inſumtam ei operam. Accedere, quæſo, propius jube numeroſam illam, quam ſiſtit THOMAS, Medicorum turbam, & recitantibus carmina ſua aures præbe; omnes dixiſſe aliquid, ceciniſſe, præter FRACASTORIUM, horum putabis neminem. Miſerum me, ſi quis hæc prolata credat in ſummorum virorum contumeliam. Medici ſint conſummatiſſimi; modo non Poetas ſe venditent. Tantum ego ſemper, tamque ſpatioſum artis, quam profitentur, ambitum, tam plenum curarum & laborum negotium judicavi, ut, qui ad Medici excellentis nomen adſpirare in animum induxerit, eum per omne vitæ ſuæ tempus hac in arte elaborare pertinaciſſime, & a dulciorum literarum ſtudiis neceſſe ſit penitus abſtinere. Unde hoc majoris admirationis rem exiſtimo, in illis literarum tenebris inventum eſſe FRA-

CA-

CASTORIUM, qui non ſolum medicinæ principatum omnium teneret conſenſu ac ſuffragatione, & commune eſſet ægrotantis patriæ oraculum, ſed in poeſi etiam tantos ſimul faceret progreſſus, ut dies noctesque omnes in poetarum veterum poſuiſſe lectione videretur. Fallitur profecto is, qui ſola natura & ingenio fingi poetas, & ad poeticos afflatus divinosque ſpiritus redire in poeſi omnia exiſtimat. Doctrina multiplici & continua exercitatione opus eſſe poetæ, non ignorant, qui ad artis hujus vere divinæ laudem aliquam magno animo contendunt. Habuere igitur, cur obſtupeſcerent ad tantæ rei exemplum, & artes adeo diſſonas, adeo laborioſas, ab eodem homine tam excellenter fuiſſe pertractatas, vix credibile exiſtimarent *Autores Ephem. erud. Eſſais de Literat. an. 1702. Nov. p. 287.* De Medicinæ, qua inclaruit, peritia dictum eſt ſuo loco; jam poetam luſtrabimus. Ubi nihil me poſſe in laudes FRACASTORII afferre novi video, quod non allatum ſit dudum viris doctiſſimis, & poetices apprime gnaris. Quisquis enim FRACASTORII poetæ injecit mentionem, omnes in eum laudum & præconiorum cumulos congeſſit. Non in prædicando nimius eſt ADR. BAILLETUS, dum poetarum recentiorum præſtantiſſimis accenſet FRACASTORIUM in *Jug. des Sav. T. IV. P. I. p. 216. ed. nov.* Idem ei ſcribit elogium acerrimus alioqui poetarum cenſor, JOSEPH. JUST. SCALIGER in *primis Scaligeranis p. 84.* *Præſtantiſſimus poeta* dicitur BERNARDINO SCARDEONIO in *Hiſtor. Patav. lib. II. claſſ. 5,* & *poeta incomparabilis* SIMONI FORNARO in *Notis ad Arioſti Orland. lib. ult. Stanz. 15.* Magnificus præ aliis FRACASTORII laudator eſt ONUPHR. PANVINIUS, *poetam omnium, qui poſt Cæſaris Auguſti tempora unquam toto terrarum orbe omnium conſenſu fuerint, procul dubio maximum* appellans in *Antiqu. Veronenſ. lib. VI.* Cui perquam ſimile eſt judicium JAC. AUG. THUANI, cui *ſummum poetices faſtigium conſecutus* videtur FRACASTORIUS in *Hiſtor. lib. XII. ad ann. 1553. p. 576.*

Proxime ad hos accedit BERNARDINUS PARTHENIUS, ſcriptor graviſſimus, qui *poetarum* ſui temporis *principem locum occupaſſe* eum fatetur, & *ornatiſſimum politiſſimumque* nuncupat *lib. II. de Poetica imitatione.* Fuere alii, qui non recentioribus ſolum poetis ſuperiorem longe, ſed & parem maxime antiquis judicarent. Quo ſpectant, quæ honorifice de FRACASTORIO dicta ſunt ab *Aut. Anon. Vitæ ejus p. 1: Non antiquorum modo civium ſuorum Catulli & C. Plinii gloriam æmulari, ſed omnes prorſus noſtræ & ſuperioris ætatis homines præſtanti omnis doctrinæ laude, & eximia in pangendis carminibus gloria longo intervallo ſuperare contendit.* Quæ Autoris Anonymi verba dum integra repetit tanquam ſua JAC. BURCKHARDUS in *Medico human. ſtud. vindic. p. 6,* in eadem ſe verſari ſententia, manifeſto declarat. Si ab *Autorum Ephem. Erud. Journ. Liter. de l'année 1717. T. IX. P. 2. p. 266,* ſuffragio res pendeat, tam carminis gravitate, quam foecunditate ingenii PALINGENIO, PONTANO, CAPICIO, & AONIO VERULANO ſuperior longe putandus eſt FRACASTORIUS. Multum inprimis dediſſe amori FRACASTORII videtur JUL. CÆS. SCALIGER, graviſſimi judicii & maximæ autoritatis Italus. Is, arcto quodam amicitiæ vinculo junctus Noſtro, carmina amici ſui legit cum voluptate, & eorum facile agnovit præſtantiam. Ut taceam enim, eodem, aut majori, ut patet ex *libro VI. Poetices Cap. 1,* in pretio habitum ab eo FRACASTORIUM, quam PALINGENIUM, AONIUM, POLITIANUM, VIDAM, PONTANUM, SANNAZARIUM, aliosque, quos ipſos *cuivis veterum comparandos, multis ſed non ignobilibus anteponendos* duxit; quanti fecerit poetam egregium, ex eo abunde cognoſcimus, quod *ibid. Cap. 4, nihil* plane in ejus carminibus a ſe *deſiderari, & admirationi potius eſſe locum, quam caſtigationi,* fateatur, nec dubitet *Poetarum poſt Virgilium* vocare *præſtantiſſimum.* Cujus judicium, cum ſit poetæ de poeta, Medici de Medico, civis de cive, ſuſpectum quadammodo videtur

GERH.

GERH. JO. VOSSIO in *Inſtitut. Poetic. lib. I. Cap. 3. §. 2. p. 51. Opp. ejus.* Conf. ADR. BAILLETUS in *Jug. l. c. p. 216.* Neque fuiſſe quenquam inter cives & æquales FRACASTORII, qui non viventi ſummam poeſeos laudem deferret, haud obſcure docet *Decretum publicum, pro erigenda Fracaſtorio ſtatua marmorea* ſancitum a civitate Veronenſi, & ab ANGELO ZAVARISIO, ſcriba publico, conſignatum, *Operibusque* FRACASTORII præfixum, ubi, communi civitatis voce, *humaniorum literarum ſcientia, & inprimis poeſi, ſicuti multos ex veteribus, ita omnes, qui poſt annos mille quingentos aliquod in eo genere ſcribendi nomen habuere, ſuperaſſe* perhibetur. Felix igitur in eo putandus eſt FRACASTORIUS, quod æſtimatores carminum ſuorum & præcones nactus eſt tales, quales eorum maxime dignitas poſtulabat & præſtantia. Sunt enim in his virtutes tam variæ tamque ſingulares, ut parum delicate ſapere neceſſe ſit eum, qui non antiquorum poetarum expreſſam in illis deprehendat imaginem. Quod ad dicendi genus, & externum carminis ornatum, *tantam* eſſe in poeſi FRACASTORII *eloquentiam, tantam dicendi vim & facultatem ſermonisque puritatem*, ait JAC. BOISSARDUS in *Icon. p. 129, ut æterna laude non ſine cauſa ad cælum evehatur*, ob eamque rem *a multis divinus vocetur Fracaſtorius.* Illud vero, quod divinum eſt in poeſi, & animam carminis recte dixeris, illum concitatiorem mentis impetum, illam fabulæ venuſtatem, maximopere in FRACASTORIO ſuſpexit BERNARD. PARTHENIUS, *in fabulis fingendis excellentem, & natura ſublimem* prædicans *l. c.* BAILLETO *l. c. p. 218* admirabilis in eo inprimis videtur Poeta noſter, quod in promtu ſemper habuerit ingenium, & in quamque illud partem flectere, atque argumento, quod verſibus ſuſceperat pertractandum, eleganter accommodare ſciverit; quo ipſo factum putat, ut, licet ad ſublime maxime ſcribendi genus ingenii ferretur impetu, poſſet tamen, quandocunque vellet, remittere fervorem, & ad mollem ſe componere ſimplicitatem.

Ean-

Eandem BAILLETUS prolatam dicit ſententiam a J. L. GUEZ DE BALZAC in *Epiſtola quadam ad Jo. Capellanum* ſermone ipſi vernaculo data anno 1640; ſed monet celeberrimus DE LA MONNOYE in *Notis ad Bail. Jug. l. c. p. 219*, non exſtare BALZACII ad CAPELLANUM epiſtolam, ex qua tale quid cognoſci poſſit, nec fidem alleganti habendam BAILLETO. Ego, ſi quid addere fas eſt tantorum virorum judiciis, recentiorum poetarum, fateor, ſcire me neminem, quem ſive cæleſti mentis impetu, ſive inventionis robore, ſive gravitate ſententiarum, ſive denique verborum ſuavitate & delectu, cum antiquis æque putem comparandum. Nusquam ingenio vim illatam, nusquam humile quid & ignobile, nusquam poetam deferveſcentem, aut a vigore ſuo degenerantem videas. Pleni ubique & graviter ſonantes numeri, verſus compoſiti & rotundi, ſummum in fingendo artificium, acre in excogitando acumen, nobile in concinnando ſtudium, mira in dicendo gratia, exquiſitus lepor, incomparabilis venuſtas. Quæ carminis virtutes, per ſe inſignes & eximiæ, tanto illuſtriores in FRACASTORIO excellentioresque fuerunt, quanto majoris laboris opus fuit, argumenta parum poetica & ſuavitate fere omni deſtituta, qualia fuere, quæ decantata ſunt a FRACASTORIO, ſat multa, resque ſiccas & inelegantes condire iisdem, atque tales efficere, ut legentibus non poſſent non voluptatem afferre atque delectationem ſingularem. Non ignoro quidem, eſſe & in noſtri Poetæ carminibus alterum altero præſtantius, alterum altero venuſtius, nec æqualem ſingula nitorem præ ſe ferre; ex omnibus tamen nullum memini obveniſſe mihi, quod non deceat autorem ſuum, nec iis ornatum ſit, quas memoravi, virtutibus. Exiſtimamus ita de poeſi FRACASTORII ex paucis, quorum notitiam habemus, carminibus. Forſitan major parta ei hoc nomine gloria fuiſſet, ſi, quæ ſcripſit unquam, in lucem prodiiſſent ſingula. Etenim plura longe ab eo ſunt compoſita, quam adjecta leguntur *Operibus* ejus junctim editis.

tis. Cujus rei culpa cum penes ſolum ſit FRACASTORIUM; non ſuæ ſatis proſpexiſſe famæ videtur; parum ſimilis in eo noſtri ſeculi verſificatoribus, qui malint omnia, quam Muſæ ſuæ nugas illas, teſtes furoris ſui, perdere. Sibi poeta fuit, non aliis; & paſcere his deliciis animum, non ſplendidum Poetæ nomen aucupari, aut gratiam captare Mæcenatum voluit. Diffiſum ſibi ipſi, diffiſum arti ſuæ crederes; adeo cavit ſolicite, ne in hominum venirent conſpectum, quæ divino impetu effuderat, carmina aureola. Solebat, ſi qua luſerat verſibus, illis abdicare ſe ſtatim, nec concedere, ut eorum apud ſe vel archetypum exſtaret. Unde nec impetrari ulla ratione a vivente potuit, ut vel ipſe in lucem daret integrum carminum ſuorum volumen, vel aliis, operam ſuam ea in re offerentibus, annueret. Factum hinc eſt, ut carminum lectiſſimorum, Epigrammatum inprimis & Odarum, quæ, etſi typis non mandatæ, privato tamen legentium plauſu fuerant exceptæ, ingens numerus, incredibili poſteritatis jactura, communem expertus ſit rerum humanarum ſortem. Ex quibus *Citriorum* præſertim *Epigrammata*, *& perennis famæ Odas*, *tenera quadam ac prædulci ad Malſeſenum ſuavitate decantatas*, *ac nusquam apud amicos repertas*, periiſſe vehementer dolet *Autor Vitæ Frac. p. 8.* Neque hæc ipſa, quæ quaſi ex naufragio ſervata nobis, pauca nempe & molis admodum exiguæ, unquam cum orbe erudito fuiſſent communicata, niſi colligendis illis undiquaque & neſcio qua terræ parte protrahendis ſingularem amici FRACASTORII curam operamque impendiſſent. Vid. idem *Autor Vitæ Frac. l. c.* & ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. l. c. p. 215.* Tanto igitur hæc nobis cariora eſſe debent, quanto majori cum labore injuriæ temporum erepta, & transmiſſa ſunt ad poſteros. At ejusdem fuiſſe præſtantiæ reliqua, quibus carere jubemur, nullum eſt dubium, ſi talem in illis ſe præſtitit, qualem eſſe debere poetam omnem ipſe docuit in *Dialogo de Poetica*, quem *Naugerium* inſcripſit. Ex hoc enim conſtare cuilibet luculenter

poteſt, ipſa doctrina & ſcientia artem poeticam complexum, & optime edoctum ea fuiſſe FRACASTORIUM, in quibus omne poetæ decus carminisque omnis verſatur pulchritudo. Non vulgaria hic poetices præcepta tradit, ſed ita comparata plane, ſicut artis hujus dignitas & præſtantia poſtulabat. Illud inprimis agit, ut oſtendat, componi a poetis carmina non tam ad delectandos lectorum animos, quam ad inſtruendos maxime per imitationem. Qua de cauſa ipſe dedit operam, ut, quæ ſcriberet, carmina non argumento minus placerent, quam compoſitione, & fructus inde aliquis redundare in lectores poſſet. Hinc et, quanta ſit Poetæ a Philoſopho, Hiſtorico, & Oratore diſſimilitudo, quæ ſingulorum ſint partes, quis proprius cujusque finis, quæ dicendi ratio, quis rerum, quis verborum ornatus, quæ in enarrando, in delectando, in perſuadendo & convincendo, ſingularis & diverſa ratio, diſtincte & enucleate exponit. Quæ ſingula etſi non ea, qua par erat, gratia & ſuavitate ſunt explicata; doctrinæ tamen & ingenii, quo ad artem hanc divinam acceſſit Italus noſter, teſtimonium præbent luculentiſſimum. Conf. ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. III. P. I. p. 149,* & JAC. BURCKHARDUS in *Medico hum. ſtud. vind. p. 6.*

(f) Fuere, fateor, ex æqualibus FRACASTORII multi carminis elegantia & inſigni poeſeos laude illuſtriſſimi; attamen, deligere ex illis talem, quem majorem dicas FRACASTORIO, difficilioris fuerit judicii. Poeta fuit COTTA, poeta NAUGERIUS, poeta BEMBUS, poeta SANNAZARIUS; ſingulis decus ſuum, ſuæ gratiæ, ſuæ veneres; at non tanta in his, quanta in FRACASTORIO, virtutum poeticarum copia, non robur tantum, non tam ad veterum imaginem expreſſa gravitas. Habuit tamen hos FRACASTORIUS laudis ſuæ omnino æmulos; quamvis ſine invidia & obtrectatione. Quod ipſum in cauſa fuiſſe videtur, cur, palmæ appetens procul dubio & ſtudioſus famæ ſuæ, ad tantum FRACASTORIUS artis

hu-

hujus anniteretur faſtigium. Cum NAUGERIO generoſa hæc concertatio coepta fuerat in Patavina, continuata in Foro-Julienſi Academia. De BEMBO autem & SANNAZARIO verba JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 16* hæc ſunt: *Cum æquales ſuorum temporum nactus eſſet* (FRACASTORIUS) *Petrum Bembum, Politianum, Sannazarium; tantos gratiarum alumnos mirabili virtutum fama ſingulos adeo concitarat, ut cum illi inter ſe, tum cum ipſo inprimis de ſumma ingenii, deque poeſeos laurea perpetuo decertarent.* Quod BEMBO & SANNAZARIO POLITIANUM addidit IMPERIALIS, exſtinctum, ut inter omnes conſtat, anno jam 1492, quo nondum ſatis maturuerat, & annos ætatis vix novem compleverat HIERONYMUS, in eo diligentiam ſcriptoris deſidero, & errorem animadverto Chronologicum. Puerilem & ridiculam fuiſſe, ſi qua fuit, cum puero FRACASTORIO POLITIANI, viri gravis, æmulationem, quis non intelligit? Neque ulla hujus rei ſive in POLITIANI, ſive in FRACASTORII ſcriptis apparent veſtigia. At de BEMBO, qui ipſe POLITIANI dicitur diſcipulus, & SANNAZARIO, obtrectatore POLITIANI, res eſt longe probabilior. Hos enim tam annis, quam patria, & ſtudiorum conſuetudine, æquales FRACASTORIUS, quin & intima familiaritate conjunctos ſibi habuit. De ſingulis paulo poſt commemorabitur. Tantis igitur, tamque eximiæ famæ æmulis ſi ſuperior præſtantiorque dicendus ſit FRACASTORIUS; quantus ille fuerit poeta, quanto habendus in pretio, facillimum eſt judicatu.

(g) Vehementer amo FRACASTORIUM, multisque recentioris ætatis poetis præſtantiſſimis anteponendum puto; ineptire tamen mihi videntur ii, quos tantus tamque coecus FRACASTORII cepit amor, ut laudum fere ſint prodigi, & maximis poetarum, quos aluit vetus Latium, illis politiorum literarum magiſtris, plane ſuperiorem dicant, certe æquali honore proſequendum. Qui ſi ſubtilius ſaperent in re poeti-

ca, aut melius temperare amorem ſcirent, intelligerent profecto, aquilas tuliſſe priſca tempora, columbas noſtra gignere. VIRGILIO quis gravior unquam, quis ſublimior, quis divinior Poeta? At majores FRACASTORIO, quam vati Mantuano honores defert ADAM. FUMANUS in carmine *in obitum Fracaſtorii*, obvio in *Carmin. Illuſt. Poet. Ital. T. V. p. 237:*

Longe vir unus omnium doctiſſimus,
Verona per quem non Marones Mantuæ,
Nec noſtra priſcis invident jam ſecula, &c.

A quo parum eſt diſſonum JO. MATTHÆI TOSCANI in *Peplo Italiæ lib. III.* Epigramma:

Ante ſuo quamvis tumuit Verona Catullo,
Et fuit e claris urbibus una diu:
Attamen invidit primam tibi, Mantua, palmam
Hæc non læta ſatis proximiore gradu.
Atque aliquem, poſſit quem magno æquare Maroni,
Sollicita Phoebum, det ſibi, voce rogat.
At Fracaſtorium lætis excepit ut ulnis,
Plus aliquid votis dat mihi Phoebus, ait.

Sed is ipſe ſtatim, quaſi agnoſcens ſecum, nimis datum fervori poetico, mutavit paululum ſententiam, &, ut in gratiam rediret cum MARONE, carmini hæc ſubjecit: *Nullum, qui Fracaſtorio Veronenſi propius ad Maronis majeſtatem acceſſerit, poetam Italia unquam protulit.* Eſt & aliud in promtu Itali hujus Epigramma, quod facilius tolerare poſſis:

Qui Fracaſtorium titulo fortaſſe negabit,
Quem vati tribuit pagina noſtra, parem,
Aut non Pieriam guſtaverit ille, Marone
Quæ dempto nulli vena ſecunda fluit:
Aut ſi guſtavit, nec mecum ſentiat, ille
Jam penitus guſtu judicioque caret.

Vid. *Carmina ill. poet. It. T. IX. p. 334.* Qua in re neutiquam aſſentientem ſibi TOSCANUS habet JACOBUM GADDIUM, qui

pa-

parum, ut videtur, addictus FRACASTORIO, reperiri multos ait in libro *de Scriptor. non Eccleſ. P. I. p. 193* vel æquales ei, vel ex aliquorum judicio majores omnino; in quibus numerat tam ex antiquioribus STATIUM & CLAUDIANUM, *de majeſtate cum ipſo Marone contendentes*, quam ex recentioribus SANNAZARIUM, PONTANUM, atque VIDAM, cui ipſi prælatum a TOSCANO FRACASTORIUM, ea de cauſa miratur maxime, quod poetæ hujus *Chriſteida* non dubitaverit appellare *divinam* in *Peplo It. l. c. Si enim hæc*, inquit, *divina eſt, non erit carminibus Fracaſtorii minor majeſtate.* Similiter quærere ex GADDIO poſſes, quid cauſæ ſit, cur, rerum ſuarum parum conſtans, hoc ipſo in loco contemtim adeo loquatur de FRACASTORIO, quem ſplendidiſſimo donaverat elogio, & *carminibus cedro dignis* illuſtrem dixerat in *Allocution. & Elog. p. 67 & 68.* Sed lites haſce meum non eſt dirimere, nec, quis illorum Poetarum felicius expreſſerit VIRGILIUM, decernere. Suum GADDIO, ſuum TOSCANO relinquo judicium. Forte in utroque invenias, quod reprehendas. Unum, qui ad VIRGILII dignitatem poſt longos ſeculorum decurſus proxime acceſſerit, dicere ego nolim FRACASTORIUM; neque tamen, cur PONTANUM ei, cur SANNAZARIUM, cur VIDAM præferam, ullam mihi videor habere cauſam. Ex ingenio quisque ſuo carmina illorum æſtimet; mihi, qui meo utor ingenio, multa in illis diſplicent, in FRACASTORIO, parum abeſt, quin placeant omnia. Illud vero miror, cur unum ex multis TOSCANUM elegerit ſibi GADDIUS, cui præclarum illud de FRACASTORIO judicium exprobraret; cum nihil ille dixerit non dictum aliis, & plures dudum, nec ſpernendæ autoritatis viri in eadem verſati ſint opinione. *Apud omnes literatos*, ait JAC. BOISSARDUS in *Icon. p. 129, tanti ſiunt poëmata Fracaſtorii, ut illa conferant cum Vergilianis.* JUL. CÆS. SCALIGERUM quis ignorat, hominem moroſum in judicando, aſperum in caſtigando, in laudando difficilem? Hic tamen Poetarum poſt

VIRGILIUM optimum prædicat FRACASTORIUM in *Hypercritico ſeu lib. VI. Poetic. Cap. 4. p. 817*, & *magno Maroni* ſimillimum judicat in Epigrammate quodam, manibus Fracaſtorianis ſacro, & ob venuſtatem ſuam digniſſimo, quod Lectoribus noſtris innoteſcat. Ita vero ſe habet:

Poſtquam lethiferis immitis legibus ævi,
Cuncta quibus rapida mors rapit atra fuga;
Coeleſtes magni vultus ceſſere Maronis:
Nullaque tam faciles ſiſtit imago Deos;
Quod ſupereſt, Fracaſtorii ſupplebit inanes
Sola inter cunctas fida tabella vices.

Vid. *Carmina Scaligeri P. 1. p. 271.* Reſpexiſſe ad hoc SCALIGERI Epigramma videntur *Autores Diar. Eſſais de Litter. menſ. Nov. 1702. p. 288*, quando, FRACASTORIUM ob carminum ſuorum cum Virgilianis ſimilitudinem, vocatum vulgo *Maronem Italiæ*, referunt. Teſtes plures deſideras? Habes GEORG. FABRICIUM, decus Germaniæ incomparabile, egregie applaudentem FRACASTORIO:

Prima Fracaſtorio debetur palma recentum:
Proxima Virgilii verſibus ille facit.

Vid. NIC. REUSNERI *Icon. ſub lit. o.* Habes GERH. JO. VOSSIUM, cui *poetarum poſt Virgilium præſtantiſſimus* dicitur in *Inſtitut. Poetic. lib. I. Cap. 3. p. m. 51.* Habes JAC. AUG. THUANUM, qui *ita excultam* a FRACASTORIO *poeticam* tradit *lib. XII. Hiſtor. p. 576, ut ad Virgilianam majeſtatem proxime acceſſiſſe eum faterentur æmuli.* Cui ſimile prorſus eſt graviſſimi ſcriptoris, JO. ANTONII VULPII, editoris carminum Fracaſtorianorum noviſſimi, judicium, quod profert in *Dedicatione Carm. Frac. Patavii 1718 ab ipſo editorum*, ubi *eam ſcribendi carminis facultatem adeptum* dicit, *ut uno Virgilio inferior, vel æmulorum confeſſione, judicaretur.* Nec prætermittendum puto honorificum FRANC. POLÆ, politiſſimi Italorum, elogium, quod tribuit FRACASTORIO in *Elog. Fr. l. c:*

Has

Has perilluſtres Fracaſtorii virtutes una illa ſplendide ſuperavit, quam a ſumma & æterna Poeticæ gloriæ auctoritate, & Virgiliana carminum dignitate; omni omnium Poetarum ordine applaudente, ſibi comparavit. Addi his, aliorum, ut Q. MARII CORRADI *lib. XIII. de Lingua Latina*, & DAN. GEORG. MORHOFII in *Polyhiſt. T. I. Lib. VII. Cap. 3. §. 8. p. 1064*, poſſent teſtimonia; ſed quis eſt, qui expoſcat illa? Suffragiis igitur ſi conficienda res ſit; vides, quicquid in FRACASTORIUM tentavit GADDIUS, tentatum fruſtra fuiſſe. At cum ex pretio magis ſuo, quam opinione aliorum, res æſtimari quæque debeat; prudenter facient, qui doctorum virorum autoritatem curantes parum, ſuum hic ex iis, quæ cecinit FRACASTORIUS, formabunt ſibi judicium.

(h) Quemlibet artificem ex arte ſua diſcimus; poetam ex numeris & cantu. FRACASTORIUM ergo, ſi gloriam ferre velit artis ſuæ, prodire foras jubebimus, & vires cantando experiri. Nec moroſi erimus judices; modo dignum quid proferat auribus noſtris. Ecce, jam propius accedit; jam plectra capit; jam digitos admovet; jam vocem præparat. Cantanti favete animis; admurmurate; plaudite. *Syphilin*, de morbo Gallico poema, audite; jam ſatis auditum vobis exclamabitis. FRACASTORIO, non erit inter vos, qui negare auſit Poetæ decus. *Syphilin*, a *Syphilo* paſtore ita dictam, quotiescunque lego; toties animum ſubit admiratio quædam poetæ incomparabilis, pudetque me temporum noſtrorum, quæ præter unum forte, ad Albis littora modulantem ſuaviter, nec majorem FRACASTORIO, nec ſimilem paremve habent. Tu, ſive Medicus, ſive Poeta, lege; nec Medicum hic, nec Poetam deſiderabis. Et ſi oblectamentum quæris animo tuo, non habeo, quod magis putem ad palatum fore, quod magis aptum ad permulcendum credam. Vix ſatiari legendo poteris. Neque me unquam legiſſe carmen memini, quod tantis omni tempore doctorum virorum celebratum laudibus, tam appro-

approbatum aſſenſu omnium, tam communi exceptum plauſu viderim. Quis maxime laudare poſſet, certaſſe inter ſe dixeris non vulgus eruditorum, ſed eos ipſos, quibus perſpicere omnia datum fuerat, & odorari ſagaciſſime. Rugoſiſſimæ frontis Critici, omnia omnium Poetarum fercula faſtidientes, ubi ad FRACASTORII *Syphilin* devenere, in ſtuporem rapti, exquiſitos Poetæ ſummo honores detulere. Tanto proniores ad laudandum ceteri, qui non diſſimulare mentem ſuam didicerunt. Me vel ipſa laudum & verborum, quibus utitur laudator quisque, varia genera delectant. Ingenioſior ad excogitandum alter altero; alter altero ad dicendum gravior. *Carmen* dici *elegantiſſimum* miraris a CONR. GESNERO in *Biblioth. p. 347?* At magis miraberis, ubi videris, *admirabile Autoribus Diar. Eſſais de Litter. 1702. Nov. p. 288, incomparabile* PETRO BÆLIO in *Nouvell. de la Rep. des lettr. 1687. Febr. perenne atque idem prope æternum Autori Anon. Vitæ Frac. p. 6, quod cum veterum majeſtate certare valeat*, THOM. BARTHOLINO *de Medic. Poet. p. 131, optimum eorum, quæ recentiori ætate verſibus Latinis in Italia decantata ſint*, REN. RAPINO in *Reflex. gener. ſur la Poet. Refl. 14*, quin *divinum plane*, & cui nihil addi poſſit, appellatum JUL. CÆS. SCALIGERO in *Hypercrit. ſive lib. VI. Cap. 4. p. 817*, NIC. REUSNERO in *Icon. ſub lit. o*, *Autoribus Journ. lit. T. VII. P. 1. p. 48*, MICH. NEANDRO in *Præf. ad Erot. lingu. Græc. p. 207*, & in *Decreto civit. Veron. pro ſtat. erig. Frac.* Nec temperare ſibi potuit JOS. JUST. SCALIGER, quin *poetam excellentem in Syphili* diceret FRACASTORIUM in *Scaligeran. prim.* Quid de ONUPHR. PANVINIO dicam, *nihil divinius, elaboratius, ne a Virgilio quidem ipſo fieri potuiſſe Syphilide Fracaſtorii*, exiſtimante *lib. VI. Antiquit. Veron.* Et ſane, cum *Georgicis* VIRGILII non inepte comparari *Syphilin*, arbitrati ſunt *Autores Journ. Lit. T. IX. P. 2. p. 266*, & JAN. VINC. GRAVINA *della Rag. Poet. Cap. 36*, qui & ipſe addit, documento eſſe poema illud,

ad

ad quantam poetices dignitatem aſpirare liceat ingenio præceptis innutrito philoſophicis. Neque dubito, eos ſcriptores omnes, quos ſupra dixi de FRACASTORIO tam ſenſiſſe magnifice, ut cum VIRGILIO compararent eum, in hanc ſententiam non niſi lecta *Syphili* adductos. Reliqua enim, quæ cecinit, carmina etſi non diſſimulant autorem ſuum; nihil tamen ad *Syphilin*, ut recte judicat ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. IV. P. 1. p. 216.* Id certe cuilibet vel leviter inſpicienti apparet, VIRGILIANUM dicendi genus, quale eſt in *Georgicorum* libris, magis hic a Poeta, quam aliud quodque, expreſſum. Agnovit id REN. RAPINUS *l. c.* & LUDOV. DE CASTELVETRO in *Comment. in Poetic. Ariſtot.* quamvis hic parum conſtare ſibi videatur, ſimilem ARATO, HESIODO, EMPEDOCLI, NICANDRO, LUCRETIO, SERENO, MANILIO, PONTANO, (*Uraniæ* ſcriptori) eodem in loco FRACASTORIUM pronuntians. Non inepte tamen *Autoribus Journ. Lit. l. c.* eodem tempore VIRGILIUM & LUCRETIUM imitatus dicitur, ita nempe, ut non videretur imitatus, ſed ſingulare quoddam dicendi genus, pulcherrimum omnino ſuaviſſimumque, effingeret. Intercedit his LIL. GREG. GYRALDUS, longe illis perſpicacior, ſcilicet. Is, præ ceteris naſum habens, etſi veterum Poetarum imitatorem ſciret FRACASTORIUM, illud tamen maximopere ab eo affectatum perhibebat, ut PONTANO, recentiſſimo Poetæ, palmam præriperet elegantia ac venuſtate carminum. Integra ejus in *Dial. 1. de Poetis ſuor. temp. p. 545. Opp. ed. Lugd.* verba hæc ſunt: *Ejusdem eſt facultatis Hieronymus Fracaſtorius, Veronenſis, qui de morbo Gallico, ut vulgo dicimus, ipſe a barbara voce Siphyllida vocat, libellos tres, ad Petrum Bembum, habet in manus, in quibus cum antiquos conſectatur poetas, tum præcipue Pontanum, quem celebrat, æmulatur, egregius certe in confingendis fabulis, apta illi carminis ſtructura, &c.* Ego vero, quantumvis diligenter verſatus in lectione *Syphilidis*, tantum abeſt, ut hic laudes quasdam PONTANI

commemoratas invenerim, ut ne ullam quidem ejus injectam viderim mentionem. Et ſi ſcripta ejus reliqua perquiras, nihil unquam de PONTANO in mentem veniſſe Noſtro, manifeſto intelliges. Æmulatio vero, niſi inter viventes, eſſe nulla poteſt. Vix adoleſcentiæ annos egreſſus fuerat FRACASTORIUS, cum e vivis PONTANUS exceſſit. Docent id ſcriptores Chronologi; ejusque rei GYRALDUM oportebat meminiſſe. Quodſi ille ex ſola ſtili ſimilitudine ejusmodi quid ſuſpicatus eſt; judicium hoc, quis non videt, quam ſit lubricum? Dum imitandum ſibi FRACASTORIUS ſumſerat VIRGILIUM; neceſſe fuit, ſimilis evaderet iis, qui ejusdem poetæ ingenium exprimere verſibus laboraverant. Ridiculum fuerit, imitatorem imitari, cum ipſum poetam poſſet. Lecta *Syphili*, PETRUS BEMBUS, amicus FRACASTORII conjunctiſſimus, poeta ipſe, & poetarum æſtimator prudentiſſimus, ita ſe captum FRACASTORII amore ſenſit, ut eum non ſolum Poetis aliis, qui ſimile quid auſi ætate illa fuerant, longiſſime præferret, ſed antiquis etiam, LUCRETIO & VIRGILIO, ſive rerum delectu, ſive numerorum venuſtate, parem judicaret. Cujus rei teſtes ſunt BEMBI ad FRACASTORIUM epiſtolæ tres, vernaculo ſermone ſcriptæ, obviæ *Vol. III. lib. V. Epp. Bembi*, & *Editioni Carm. Frac. Vulpianæ* præmiſſæ, quas, velim, legat, qui de eo, quod pulchrum & divinum eſt in hoc carmine, plenius cupit edoceri. Jungo huic alium non minoris famæ Italum, BASILIUM ZANCHIUM, FRACASTORII itidem æqualem, &, ut videtur, familiarem, qui de carmine eleganti eleganter cecinit in Epigrammate, quod FRACASTORIO inſcripſerat:

Hinc Syphilin devectam alio de cardine mundi
Concinis, Auſonia conſpiciende lyra.
Cantantem ſtupuere umbræ manesque Catulli:
Benacus placidis extulit ora vadis.

Ipſe

Ipſe Atheſis circum ripis mirantibus hæſit:
Attonitæ circum concinuiſtis aves.
Fraſtori venerande, tuum per ſecula nomen
Proferet, immenſo quæ volat orbe, Dea.

Vid. NIC. REUSNERI *Icones ſub lit. o.* At nihil iſtarum laudum tam glorioſum eſſe poteſt FRACASTORIO, quam quæ in media graviſſimorum virorum concione prolata ſunt a JAC. SANNAZARIO. Is, nemini ignotum eſſe poteſt, quanta, dum viveret, contentione, quanta cum aliorum obtrectatione & injuria illius gloriæ, quæ poetis demum ex arte ſua ſperari poteſt, umbram conſectatus ſit, quamque tardus & negligens eorum, quæ alienis debebantur autoribus, fuerit prædicator. Illum, quis non miretur, viſa FRACASTORII *Syphili*, quam dono acceperat ab Autore amicitiæ jure, præſente Hippolyto, Cardinale Medicæo, nec non JOANNE BAPTISTA MONTANO, æmulo FRACASTORII, aliisque viris primariis, libere profeſſum, non PONTANUM ſolum, (POLITIANUM addit ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. IV. P. 1. p.* 217, ſed contra omnium ſcriptorum fidem, & recte monet accuratiſſimus ſcriptor DE LA MONNOYE in *Notis ad Bail. Jug. l. c.* animo tam in POLITIANUM infenſo fuiſſe SANNAZARIUM, ut vix tolerabilem Poetam judicaret, tantum abeſt, ut cum PONTANO ullo modo comparandum duceret,) ſed ſe ipſum etiam, egregio *de Partu Virginis* carmine, cui viginti annorum limam adhibuerit, nobiliſſimum, multum a FRACASTORIO carminis majeſtate ſuperatum. Cui rei, vix impetrare a me potuiſſem, ut haberem fidem, quippe de SANNAZARII ingenio alia omnia edoctus; niſi illis ipſis, penes quos ſumma eſt autoritas, ſcriptoribus commemoratum id legerem. Tribus illud, ne fabulas Lectori propinaſſe videar, iisdemque graviſſimis teſtimoniis confirmabo, quibus id effecturum me confido, ut omnis ea de re dubitandi præcidatur occaſio. Breviter id refert FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* hiſce qui-

dem verbis: *Sannazarius ſane, poeta cultus, & egregius, idemque non largus, nec ſuavis alienæ citharæ laudator, cum Syphilida perlegiſſet, Hippolyto, Medice Cardinali, teſte, nec ſine tacita invidia, Fracaſtorio ſubmiſit.* Eundem fere in modum rem memorat JAC. AUG. THUANUS *Hiſt. lib. XII. p. 576*: *Poeticam, ait, ita excoluit, ut ad Virgilianam majeſtatem proxime acceſſiſſe eum faterentur æmuli; & in iis Jacobus Sannazarius, alioqui parcus & amarulentus alienæ eruditionis laudator, qui, viſa ejus Syphilide, non ſolum Joannem Jovianum Pontanum, ſed ſe quoque ipſum in opere, accurata viginti annorum lima perpolito, victum exclamavit.* Nec poſſum, quin pleniſſima *Autoris Vitæ Frac.* teſtis certiſſimi, verba afferam. Ita ille *p. 6.*: *Syphilida perenni atque eo prope æterno carmine decantavit; tanta omnium admiratione, ut, cum non multos poſt annos Neapolim ad Jacobum Sannazarium in lucem edita deferretur, vir ille omnium noſtræ & ſuperioris ætatis diſertiſſimus, & Virgilianæ majeſtatis aſſectator egregius, atque alieni carminis laudator alioqui parcus atque amarulentus, Hippolyto Medici Cardinali, qui forte ad eum ſalutandum, nobili eruditorum corona ſtipatus, atque adeo ipſo Montano, acri æmulo, acceſſerat, hunc unum eſſe confeſſus ſit, a quo non Jovianus modo Pontanus, ſed ipſemet quoque in Partu Virginis, accurata carminis dignitate, viginti amplius annorum lima ac labore perpoliti, eſſet victus.* Tædet me plura accumulare; quis enim non ſatis rem confirmatam putet? Nihil ab his, quæ attuli, diſcrepant JAC. GADDII in *Allocut. & Elog. p. 68*, JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 16*, HIERON. GHILINI in *Teatr. d'huom. let. ſub Frac.* ANT. TEISSIERII in *Elog. T. I. p. 169*, ADR. BAILLETI in *Jug. des Sav. l. c.* & DAN. GEORG. MORHOFII in *Polyhiſt. T. I. Lib. VII. Cap. 3. §. 8. p. 1064*, teſtimonia. Aliter plane rem iſtam refert LUD. MORERIUS in *Grand Diction. T. II. p. m. 541*, falſa quæque, absque ſcriptorum autoritate, narrationi ſuæ admiſcens. Præcipuum, quod viris tam præclaris & præconiorum

rum alioqui parum prodigis, tantopere commendavit *Syphilin*, illud eſt, quod ex terra tam ſterili & ineleganti tam pulchros poeta flores producere, & argumentum per ſe ignobile & injucundum omni venerum & gratiarum genere imbuere nitidiſſimeque exornare ſciverit. Non enim fallitur BERNARDIN. PARTHENIUS in *Orat. pro Lingua Latina p. 26*, dum argumentum hoc *reconditum*, *& in poetarum literis inauditum* vocat, idque *mira copia ac facilitate a divino illo ingenio tractatum* prædicat. Neque adeo diſſentimus ab eodem ſcriptore, quando *poemate illo tum ingenii ſui vim ſcribendique judicium præ ſe tuliſſe, tum quantum imitatio ac diligentia poſſit, non obſcure demonſtraſſe* dicitur ipſi FRACASTORIUS *lib. II. de Poetica Imitat.* Multa, quæ laudibus proſequerentur & ſuſpicerent in *Syphili*, invenerunt *Autores Diar. Eſſais de Literat. 1702. l. c.* Ad univerſas artis poeticæ leges formatum, & elegans omni numero poema vocant. Incredibile fere putant, rei tam invenuſtæ, qualis eſt turpiſſimum illud morborum monſtrum, tantam addi ſuavitatem potuiſſe. Non gravius quenquam delicatiusque illo Deorum ſermone locutum olim, quam locutus ſit FRACASTORIUS in *Syphili*. Nihil non nobile, ſublime, atque eodem tempore facile & nativum eſſe; nihil non excogitatum ingenioſe, & appoſite ad delectationem dictum; ipſam denique carminis diſpoſitionem tam felicem eſſe & concinnam, ut VIRGILIO nihil componi poſſit ſimilius. Parum ab his degenerat ADR. BAILLETUS in *Jug. l. c. p. 217. ſeq.* qui JUL. CÆS. SCALIGERUM in judicando ſecutus, nullam earum virtutum, quæ ineſſe debent in carmine venuſto, hic deſiderari, ſed maximam ſermonis vim & puritatem, graves numeros, non inflatos nimis ſpiritus, ſummam ſuavitatem ac dulcedinem, hic animadverti, perſuaſiſſimum habet. Addam etiam de meo aliquid. Ego, ubi primum de morbo Gallico ſcriptum a FRACASTORIO carmen audivi, & nigrum ex rubro æſtimavi, execrandæ rei horrore perfuſus, non ſenſi me,

fateor, nimia legendi cupiditate incenſum, nec Poetis illud ſcriptum judicavi, ſed Medicis. Poſt, ubi verſare illud manibus, &, ut ſolent curantes parum, negligenter pervolutare coepi, talia hinc illincque oculis ſe obtulere, qualia non niſi apud poetas ſummos legiſſe me olim recordabar. Cujus generis cum, quocunque me verterem, permulta invenirem, & in aures meas magis magisque inſinuaret ſe antiqua numerorum gravitas, jam ardentius complexus ſum poetam meum, totumque me abdidi in *Syphilin*, digniſſimam, ut jam tum putabam, cui vel doctiſſimi & maxime emunctæ naris lectores contingerent. Neque, ſemel legiſſe, ſatis mihi fuit; ſed, carmini velut alligatus, a calce ſæpius ad caput redii, & dies totos, mora nulla interjecta, lectitando conſumſi. Itaque in eam mox adductus ſententiam ſum, non ſolum jure laudatam a ſcriptoribus præſtantiſſimis *Syphilin*, ſed ne ſatis quidem laudatam. Dicerem, me omnia miratum; niſi verendum mihi eſſet, ne multis videar in laudando nimius. Pauca certe, ſi judex ſim rigidiſſimus, offenderem, quæ non digna novem Muſis, non digna autore ſuo exiſtimarem. Vidi hic poetam oſſibus flammas nutrientem, & divino concitatum impetu; vidi ſublimem ingenio, gravem numeris, verſibus mollem ac delicatum. LUCRETIO qui ſimilem dixerunt, vehementer illi errarunt. Etſi enim uterque res naturales carmine perſequitur; ipſa tamen tractandi ratione multum inter ſe differunt. Ille, ſi dicendum, quod res eſt, inter poetas locum vix meretur; hic quam maxime meretur. Si quid ſcio, præcipua carminis virtus in fictione conſiſtit, & poeta dici is demum poteſt, qui res quasque ſub amoenis fabulis repræſentare, & ſub involucris hiſce veritatem occultare didicit. Id quod in LUCRETII *de Rerum natura* libris ſex neglectum plane, in *Syphili* FRACASTORII excellenter præſtitum. Habeo ea in re conſentientem mecum ANTONIUM LULLUM BALEAREM, etſi non ita, ut vellem, amantem FRACASTORII, qui *lib. X. de Oratione Cap. 5,* ut teſtatur

GERH.

GERH. JO. VOSSIUS in *Inſtitut. Poetic. lib. I. Cap. 3. p. m. 51*, verba hæc profert: *Noſtra ætate Hier. Fracaſtorius librum ſcripſit exiguum, (nomen eſt Syphilis) in quo fabulas adeo venuſtas elegantesque immiſcuit, ut niſi ſecum nonnihil in narrando diſſenſiſſet, dignum exiſtimarem, cui inter magnos poetas locum darent poetæ.* Ad ea ſine dubio reſpexit LULLUS, quæ de horribili luis nefandæ monſtro, omnes terrarum partes pervaſtante, de argenti vivi medicina, miro Deorum conſilio ex viſceribus terræ producta, & de *Syphilo* paſtore, ob divina ſacrificia, regi Alcithoo facta, Superorum iram & vindictam experto, ea cecinit ſuavitate, ut ingenium poetæ admirari ſatis vix poſſis. Adhæc ſumma ei in deſcriptionibus rerum vis eſt, vehemensque vigor; ingens verborum nervus; incredibilis in dicendo lepor. Teſtes ſint illæ ad vitam expreſſæ morborum juvenumque ægrotantium imagines. Denique nihil eorum prætermittit FRACASTORIUS, quæ ad ornandum poema tam illuſtre quoquo modo pertinere videbantur. Habes ſimilia, non ex trivio petita, ſed exquiſita, & quæ multum placent novitatis pretio. Cum reliquorum Poetarum communis fere mos ſit invocandi Muſam *Calliopen*, aut *Euterpen*; eleganter *Uranien* compellat Noſter, ut plagas cæli, unde advectus ad nos morbus ille peſtilentiſſimus, deſignaret ipſi et oſtenderet. Interdum, deſperatis rebus omnibus, ſupplex ad Deos converſus, opem horum & auxilium implorat contra peſtem ſævientem; interdum, extra ſe raptus, & infauſta quævis animo præcipiens, quid futurum ſit olim, per furorem vaticinatur, & futuras rerum viciſſitudines calamitatesque, tanquam fatorum conſcius, prænunciat. Taceo multa alia, ita comparata, ut magis re ipſa placeant inter legendum, quam exprimi & collaudari verbis queant. Non poſſum igitur, quin omnibus carminum politulorum amatoribus *Syphilin* FRACASTORII, ceu dignum omni poſteritate opus, pro eo, quo Muſas tam dulces complector, amore, vehementiſſime commendem.

(i) *Sy-*

(i) *Syphilin* merito dignitate excipit ſplendidiſſimi ornatus *Joſeph*, magni laboris carmen, & ſatis jam copioſum, licet ob intervenientem poetæ mortem ad finem perduci haud potuerit. Paraphraſin dicere poſſes in decem poſtrema Capita *Geneſeos*, quæ præcipuas Joſephi, viri in regno Ægyptiorum principis, res geſtas, caſusque varios in compendio nobis ſiſtunt. Promtiſſimus ad laudandum animus eſt; ſed facit eorum, qui indignum omni laude carmen dixerunt, ingens multitudo, ut vix audeam laudare. Video enim, carminis hujus, neſcio quo ejus merito, ſortem fuiſſe nimis duram, & illis ipſis, qui tantis FRACASTORIUM laudibus extulerant in *Syphili*, poſt, ubi ad lectionem *Joſephi* ſe converterant, ſorduiſſe Poetam, & viliori longe habitum in pretio. Ita confirmavit exemplo ſuo FRACASTORIUS, fieri haud poſſe, ut, quæ canere Poetæ ſolent vel præſtantiſſimi, omnia omnibus placeant lectoribus. Eſt varium & mutabile lectoris ingenium, nunc ad laudandum proclive, nunc ad vituperandum. Habet & Phoebus ſua intervalla; nec æquali ſemper flamma caleſcimus poetæ. REN. RAPINUS, quem paulo ante vidimus de *Syphili* perquam honorifice loquentem, eodem in loco de *Joſepho* ita judicat, ſicut judicare plerumque ſolemus de re nihili prorſus æſtimanda. Exiguam ei humilemque ait indolem, & ad permulcendum vim fere nullam ineſſe; nec leporem ullum, nec gratiam. Plane cum eo conſentiunt *Autores Journ. lit. T. VII. P. 1. p. 48*; nec benignius ſentit PETR. BÆLIUS in *Nouvel. de la Rep. des let. an. 1687. menſ. Febr.* qui exulare hic penitus ignes illos poeticos, & vigorem illum ingenii putat, quem non mirari ſatis poſſumus in *Syphili*. Unde & per jocum dicere conſuevit GABRIEL NAUDÆUS, majorem invenuſto illi Gallorum monſtro, quam homini ſanctiſſimo Joſepho, delatum a FRACASTORIO honorem eſſe. Vid. *Naudæana p. 27.* Cujus rei cauſſam BÆLIUS *l. c.* & ADR. BAILLETUS in *Jug. T. IV. P. 1. p. 220*, eam tradunt, quod ætate ſatis jam præcipitata, cum tar-

tardior ei per venas ſanguis flueret, tenuesque priſci roboris reliquiæ ſupereſſent, Muſam ſenex enervis & decrepitus laceſſiverit invitam, quæ juvenilem poſcit alacritatem, & carioſæ ſenectuti raro adeſſe, quamvis vocata, ſolet. Iſtius enim ætatis labor fuit, ut paulo ante dixi, *Joſephus* FRACASTORII. At quid unquam tam contemtum vulgo, tam neglectum prodiit in lucem, cui non præco vel tandem aliquis contigerit? Habeat hoc ſibi ſolatiolum FRACASTORIUS, quod laudatores *Joſephi* ſui invenerit vel pauciſſimos. Etenim ipſum hoc poema *carminis venuſtate admirandum* FRANC. SIXTO Senenſi in *Biblioth. Sancta lib. IV. p. 300*, & *ſummo vate dignum* dicitur *Autori Vitæ Frac. p. 4.* Neque dubito, injuriam factam FRACASTORIO ab illis omnibus, qui tam parvi, tamque nihili æſtimarunt carmen, a ſene quidem, at a FRACASTORIO, poeta, compoſitum. Melius, puto, conſultum *Joſepho* fuiſſet, & majus ei pretium ſtatuerent delicatiſſimi palati lectores, niſi *Syphilin* ſcripſiſſet, aut non tam eleganter ſcripſiſſet FRACASTORIUS. Hanc enim qui legit, perfectam omnibus numeris, & cui ſimile nihil viſum antehac, is, dulcioribus jam ferculis aſſuetus, non ſine faſtidio & indignatione quadam in lectione *Joſephi* occupabitur. *Syphili* in lucem data, ſecure valedicere Muſæ ſuæ poterat, nec habebat, cur ad majora aſpiraret in ætatis ſuæ hieme, viribusque ingenii nimis jam debilitatis. Satis hinc partum ipſi gloriæ fuerat, quam cum augere vix poſſet, cavendum ipſi erat, ne imminueret. Id enim facile largior doctiſſimo horum Carminum editori, JO. ANT. VULPIO, in *Præfat. ad Carm. Frac. longe poſitum infra Syphilidos dignitatem* eſſe poema illud, & pauca hic vigoris & ingenii, quo cecinit de morbo Gallico, animadverti veſtigia. Placebit tamen aliquantulum, nec rudem adeo laborem putabis, ſi eo, quo hæc leges, tempore *Syphilin* abjeceris, &, de melioribus ſolicitus parum, ſuo unice rem pretio æſtimaveris. Non deſunt hic, in quibus mentis illud juvenile robur, illam indo-

lem, illos furores impetusque cognoſcas. Argumento per ſe jucundo & ad citharam egregie comparato plus gratiæ & ſuavitatis acceſſit Poetæ noſtri arte & ingenio. Eſt quædam in rebus feſtivitas; eſt in verbis decus quoddam. VIRGILIUM magis hic, quam in *Syphili*, magis etiam, quam vellem, imitatus eſt. Raptorem interdum egit, non imitatorem, integrosque ex VIRGILIO huc verſus transtulit. Fictionibus etiam fere iisdem uſus eſt, quibus hinc atque illinc poeta in *Æneide.* Commode tamen hæ ipſæ locum hic invenere, nec aptiores excogitari ab ipſo potuiſſent FRACASTORIO. Eorum vero, quæ nova affert, non diffiteor, alia aliis præſtantiora eſſe. Sunt, quæ tolerari facile poſſint; ſunt, quæ laudari etiam mereantur. Refero huc, quæ canit de camelo mercatoris Arabis, cui vehendum in Ægyptum dominus puerum Joſephum dederat:

- - - jam curvo terga camelo
Excipitur, Nili ignotas jam fertur in oras.
At quadrupes, ceu divino ſub pondere vector
Inſolitos dedit hinnitus, & ſigna recentis
Lætitiæ: jamque & grato facilisque levisque
Seſſori tergum, ſellamque accommodat aptam,
Agglomeransque pedes, retro ſocia agmina linquit.

Cujus generis obvenere plura legenti mihi. Illud adhuc moneo, nullum eſſe dubium, quin, ſi ultimam operi manum limamque adhibere licuiſſet FRACASTORIO, ornatior longe politiorque in conſpectum noſtrum *Joſephus* veniſſet. Nec tam elucubrata fortaſſe prodiiſſet *Syphilis*, niſi limandi eam ſæpiusque retractandi datum FRACASTORIO tantum fuiſſet otii.

(k) De cura canum venaticorum carmine FRACASTORIUS nitido terſoque cecinit, cui nomen *Alconis* dedit a venatore ſene, qui filio Acaſto de educandis & ad venationem præparandis canibus utiliſſima præcepta tradit. De cujus pretio

ſi quis velit ex mole ejus & pondere ſtatuere, eum vehementer fallet judicium. Paucis conſtat plagulis, ſed bonæ frugis pleniſſimis, mellifluis, & mari illo tinctis, unde Venus orta. *Syphilin* quisquis amat, illi diſplicere haudquaquam *Alcon* poteſt. Nihil nobile & ſingulare in *Syphili*, nihil molle ac delicatum, quo non admirandum ſe *Alcon* præbeat. Unde factum eſt, ut multi carmen hoc iisdem, quibus *Syphilin*, laudibus celebrarent, & longe præferendum *Joſepho* judicarent. Qua in ſententia verſari video *Autores Diar. Eſſais de Literat. l. c.* & ADR. BAILLETUM *l. c. p. 220.* Facerem cum his, niſi tantopere me delectaret jucunda illa, quæ eximium prorſus *Joſephi* decus affert, rerum ac fictionum varietas. Hanc enim, utpote præcipuam carminis virtutem, dici vix poteſt, quanti æſtimaverim ſemper, quamque diligenter in ea elaborandum putem poetis omnibus. Una hæc efficere poterat, ut *Joſephum* magis, quam *Alconem*, amarem, & majori legerem cum voluptate. Neque tamen ideo ſuum *Alconi* pretium negare auſim, ſed multa ei, quæ in aliorum poetarum carminibus fruſtra quæras, ineſſe fateor. Cantu ſuavis eſt, facilis numeris, fervoris plenus, plenus ingenii. Eleganter canit poeta, quales cuique venationum generi canes conveniant, quo robore præditos eſſe oporteat, qua arte educandi, quomodo aſſuefaciendi uſibus ſylveſtribus, inprimis quibus remediis vigori ſuo reſtituendi ſint infirmiores, oſſa lente trahentes, languidi, ægrotantes. Nativus ubique ſermo, exquiſitus lepor, idem dictionis nervus, eadem vis, eadem vehementia. Quis pulchriorem robuſti & a natura mirabiliter formati canis moloſſi dari poſſe imaginem credat ea, quam ſub initium carminis legimus:

At genere ex omni præſertim delige, quæ nec
Corpore ſit gracili, nec denſis aſpera villis,
Sed ſublime caput, vivacia lumina, & amplam
Oſtentet frontem, atque ingentes oris hiatus,

Q 2 Cui

Cui rectæ ſurgant nares, cui pinguia terga
Dividat in caudam deſcendens ſpina reflexam:
Sint armi lati, ſint æque pectora lata,
Lata alvus, quæ ſic coſtis adjungitur imis,
Ut tamen in ſpatium ſenſim ſe colligat arctum:
Ut cava diductis ſuccedant ilia coſtis,
Excipiant ſiccis quas fortia crura lacertis,
Ima pedum parva ſignent veſtigia planta.

Ingentem porro hic rei medicæ apparatum habes, &, quibus cura canum eſt concredita, hi vel ex ſolo hoc pauciſſimarum paginarum carmine egregie ſapient. Præſtantiſſima enim, herbis non vulgaribus compoſita, quibus cani ægrotanti ſuccurrere venator poteſt, hic remedia ſuppeditantur. Feliciſſimus in eo Poeta, quod utile cum dulci commiſcere ſciverit callidiſſime.

(l) Præter ea, quorum hactenus facta eſt mentio, pauca FRACASTORII ad poſteros venere carmina, quæ exiguum admodum in *Operibus* ejus ſpatium implent. Ejus rei cauſam indicavi ſupra *ſub not. (e)*. Sed quo pauciora, eo majori habenda in pretio. Uſus eſt in plerisque genere carminis heroico, eo nempe, ad quod factus plane natura videbatur. *Odam* nonniſi unam, eandemque *ſub finem libri I. Dial. de Intellectione* legimus; quamvis plures ab eo ſcriptas, nullum ſit dubium. Neque *Epigrammata* adeo multa condidit; ſi quidem ea præcipua Epigrammatis lex eſt, ut ſit breve & conciſum, ingenii acumen quoddam præ ſe ferat, & mollem illam naturæ imitetur ſimplicitatem. Ab Elegis autem, ſi quos ſcripſit, vellem, abſtinuiſſet plane FRACASTORIUS, ne ridiculus nobis evaderet. Rude ad hos ingenium Noſtri, tantumque abeſt, ut in his indolem poetæ perſpiciam, ut vix, ſcriptos ab eo, perſuadere mihi poſſim. Nam, quos *in funere M. Antonii Turriani* condidit, etſi *nobiles* dicantur JAC. GADDIO in *Allocut. & Elog. p. 67*, meo tamen judicio, nec ſuavitatem OVIDII, nec acu-

acumen TIBULLI habent. Torpet hic Muſa, flammea in reliquis, ſublimis, concitata, nobilis. Nimiæ hic literarum vocalium eliſiones, ingens elegorum dedecus; elumbes & claudicantes absque cæſura verſus, qualis eſt ille:

Quandoquidem immatura morte tibi omnia frater &c.

verſus item peſſimæ compoſitionis, & licentius poſiti, ut ſunt Pentametri:

Pergeret aut tantus urere corda dolor &c.
Atque animi arcana dicere conſilia &c.
Ambroſiæ e cujus effluere ore lepos &c.
Nomen in aſtra memor & benefacta ferent &c.
Iſthæc moeſta tibi carmina perſolui &c.
Indoluiſtis acerbo illius interitu &c.

& ſimiles, quos uno forte alterove veterum exemplo tueri poſſet, at qui venuſtatem dignitatemque carminis mirum in modum imminuunt. Si quid vero tentavit ingenio, non illud acuminatum ſatis, ſed vagum nimis, & quod carmini magis Heroico conveniat, quam Elegiaco. His paulo tamen tolerabiliores reliqui, ſcripti *in natalem diem Jani Fregoſii*, *de partu Victoriæ Farneſiæ*, *in tumulo Franc. Marii Molſæ*, *in mortem Jo. Baptiſtæ Montani, Medici Veronenſis*, *ad Joannem Matthæum Gibbertum, Epiſcopum Veronenſem*, denique *de Marſango fluviolo, in agro Patavino.* Brevior in his conciſiorque poeta, & naturæ, quam artis, ſtudioſior. Neque tamen his ipſis ſingulare quid præſtitit, aut quod admirari ſatis non poſſis. Præſtantiora longe, ac digniora laude noſtra, quæ metro ſcripta ſunt Virgiliano. Nam, ſi unum excipias *M. Antonio Flaminio & Galeatio Florimontio* inſcriptum, frigidiore Muſa conditum, ſingula venuſtatem gratiamque habent. Sunt in his Eclogæ paſtorales, quas eloquentiſſimas merito & omni ſuavitatum genere ornatiſſimas dixit JAN. VINC. GRAVINA *della Rag. Poet. Cap. 21.* Non poterat pulchrius quid molliusque cani ea, qua laudes perſequitur *Julii III, Pontificis maximi,*

& venturas ſeculorum felicitates votis ominibusque præcipit. Mirum carminis decus eſt, multumque animos lectorum afficit illud iteratum ſæpius:

Dicite Jo Satyriſci, & Jo geminate coloni,
Aurea felici naſcuntur ſecula mundo.

Numeri etiam pleniores hic, & ſoni legibus adſtricti magis, quam alibi. Cetera ita ſunt comparata, ut de eorum inter ſe præſtantia difficile admodum ſit judicium. Adeo ſui Poeta in omnibus eſt ſimilis. *Autori Vitæ Frac. p. 8* placet præ omnibus carmen, *Cæſaris Fregoſii* nomine compoſitum, quo ille Palladis virenti olea coronatæ caput, nobili gemma cælatum, Margaritæ Valeſiæ, Navarræ Reginæ, Franciſci Gallorum Regis ſorori, dono miſerat. Neque diſſimulare poſſum, lectione illius me ipſum vehementer delectatum. Artis in eo multum, multum ingenii; multum majeſtatis plane regiæ. Cui ſi jungas, quæ ſcripſit *ad Joannem Baptiſtam Turrianum, Veronenſem, Danielem Rhainerium, Veronæ præfectum, Jo. Matthæum Gibbertum, Epiſcopum Veronenſem, Franciſcum Turrianum, Veronenſem,* & *Alexandrum Farneſium, Cardinalem,* carminum venuſtiſſimorum pulcherrimam habebis ſupellectilem. Quæ ubi æſtimare dignitate ſua, & imitari recte didiceris; non erit, crede, cui non egregius ipſe excellensque dicaris poeta.

(m) Fuit hoc ſemper non Poetarum tantum, ſed quotquot magnum aliquid literis tentarunt, omnium commune fatum, ut artis ſuæ alios laudatores invenirent, alios obtrectatores. Nemo etiam in tanta apud omnes doctrinæ & ſcientiæ opinione fuit, ut non aliquando juſtam hominum ſagaciorum reprehenſionem incurrerit. Erit igitur ſalvum FRACASTORIO decus ſuum, erit gloria dignitasque ſalva, etſi ſtomachum interdum leviſſima de cauſa moverit ſubtilioris naſi Criticis; diſcernendus in eo a vulgo Poetarum, quod laudator illis merentibus haud quisquam, vituperatores huic, immerenti ſæpius, obtigerint pauciſſimi. Horum quidam turpiter

in

in FRACASTORIUM fuere malevoli. Ineptiſſimum cenſorum genus, qui excellentis poetæ gloriam negantes FRACASTORIO, ſatis ſe dare laudi putarunt hominis egregii, ſi ingenii ſubtilis verſificatorem dicerent. Qui, tantum abeſt, ut, lecta *Syphili*, opere pulcherrimo, mutaverint ſententiam, ut tueri eam viderentur pertinacius. Pulchris fatentur compoſitam numeris verſibusque, nec pulchrum tamen poema prædicant *Syphilin.* Cujus ſententiæ rationem ex carminis petunt argumento. Phyſicum illud magis eſſe, quam poeticum. Eodem igitur, quo HESIODUS olim, EMPEDOCLES, LUCRETIUS, MANILIUS, & quicunque vel ex Græcis, vel Latinis res naturales verſibus complexi ſunt, FRACASTORIUM æſtimandum pretio. Illos ſi poetas nemo dixerit, non majori hunc dignum favore eſſe. Satis hoc glorioſum ei, in illorum referri numerum. Inſulſa vox eſt LUD. DE CASTELVETRO, duriſſimi (ſit verbo venia) Poetomaſtigis, cenſoria ſeveritate notiſſimi, in *Commentar. in Ariſtot. Poetic.* Quem ducem ipſe etiam BAILLETUS, neſcio an judicio magis, an coeco magis impetu, ſequitur in *Jug. des Sav. T. IV. P. 1. p. 218. ſeq.* Idem perſuaſum fuiſſe Criticis quamplurimis, teſtatur *l. c.* BAILLETUS; ſed eorum non commemorat nomina. Quicunque illi fuerint, non ſine injuria exprobrarunt hæc FRACASTORIO, facillimoque negotio famam ejus a contumeliis illorum me vindicaturum ſpero. Etenim quando earum rerum, quæ ad poeticam pertinent, peritiſſimi videri volunt, re ipſa artis hujus ſe hoſpites & ignaros plane oſtendunt. In argumento hic phyſico poetam, non poetico, verſatum, inquiunt. Aut nihil mihi de re poetica ſcire datum eſt, aut oppido hic deſipiunt boni homines. Res inaudita mihi, argumenta alia eſſe poetica, alia non poetica. Adeſte, lepida capita, meliora vos edocebo. Rerum, quæ carmini conveniant, diſcrimen ego nullum admitto. Non eſt, de qua dicere poſſis, magis poetæ eſſe propriam, quam alteram. Aut nulla erit poetica; aut poeti-

cæ

cæ erunt omnes. Non, qui res quasque obvias ſermone ſimplici perſequitur, ſed, qui fingit, poeta eſt. Res venuſtiſſimas elegantiſſimasque, eas nempe, quas illi ſine dubio dicunt poeticas, ſi tales prædicas, quales ſunt omnino, Hiſtoricum aut Oratorem agis; ſi tales, quales eſſe poſſint, tunc poeta vocaris merito. Si quid igitur ſuavitatis res quæque habet in carmine, illud omne a fictione habet. Quodſi per ſe ipſa dulcis & jucunda ſit; nihil inde in poetam laudis redundabit. Sicut ergo, qui res molles venuſtasque, arte nulla adhibita, venuſte molliterque canit, non magis poeta dicendus, quam qui res turpes turpiter; ita, qui argumento gravi ac ſevero decus gratiamque fingendo conciliat, æque Poetis annumerandus, ac ille, qui dulciſſima quæque eodem artificio efficere dulciora didicit. De HESIODO, LUCRETIO, ceteriſque naturæ inveſtigatoribus litem nullam moveo ſcriptoribus illis. Quocunque appellentur nomine, nihil ego contra nitar. De illorum pretio facile ex his, quæ jam dicta ſunt, exiſtimari poteſt. Alia me cura tangit. Non illorum, ſed FRACASTORII, jam cauſa agitur. De *Syphili* dicenda ſententia. Non, quid ſcripſerit, ſed quomodo ſcripſerit FRACASTORIUS, inquirendum ſedulo. Cauſam hanc perorabimus breviſſimis. De morbo Gallico carmen ſcripſit FRACASTORIUS. Res putida, fateor, ac delicata parum. Tale ipſum fuiſſet carmen, niſi ſuum hic poeta expertus eſſet ingenium. Noverat, Poetæ ſibi, non Phyſici, partes impoſitas. Satis jam de morbi turpiſſimi natura & remediis conſtare poterat diſcendi cupidis ex *Cap.* 2 & 3 *lib. II.* & *Cap.* 10. *lib. III* Operis *de Morbis Contagioſis*. Multum ab illo ſcribendi genere diſcrepabat carminis indoles. Alia dicendi eſt ratio, alia ſcribentis cura, ſcopus alius, alia rerum, quæ dicendi materiam ſuppeditant, facies, alia denique pigmenta coloresque rerum. Arbitrum judicemque litis noſtræ lectorem volo. Eum ſcilicet, cui palatum ſagax aptusque ſenſus eſt. Aliquam is pro fama Poetæ noſtri operam in-

inſumat. Conferat inter ſe, tam quæ ſoluta ille ſcripſit, quam quæ metris alligata oratione cecinit de *Syphili*. An præter numeros vocumque modulationes nihil inter ſe diverſi habeant, inquirat, velim, accuratius. In inquirendo judicium ſuum adhibeat, nihil temere ſtatuat, nihil oſcitanter. Orationis ac rerum diſſimilitudinem, diſſimilitudinisque diligenter cauſas expendat. Tum, quicquid libuerit, decernendi poteſtatem damus; nihil in aurem inſuſurrabimus ei; libere & palam pronuntiet. Paucas ubi legendo paginas abſolverit, quantum inter ſe differat utrumque ſcriptionis genus, intelliget profecto. Mirabitur, tam delicatis verſibus exprimi rem potuiſſe, quæ non niſi ſordidis & tenebricoſis Medicorum officinis deſtinata videbatur. Mirabitur utique, & in eo ſummum Poetæ artificium agnoſcet. Putabimusne vero, in numerorum ſono aut verborum delectu artem hanc poſitam? Aures lectorum, non animos, permulcere hæc poterant. Vim iſtam aliunde habeat *Syphilis*, neceſſe eſt. Placere verba numeroſa, ſed magis placere rem ipſam, inquies. Quid vero? Rem eandem placere negabas altero in loco. Forſan ergo non res eadem. Ita puto quidem. Mutata perſona, ipſum ſcribendi argumentum, aut, ſi mavis, ejus formam atque habitum mutavit FRACASTORIUS. Ingenio, vides, & fictione id præſtitum poetica. In hac virtus omnis vertitur nervusque carminis. Ita tamen fingit poeta, ut, qui recte ſapit, odorari ſtatim rem ipſam poſſit. Cujus generis fictiones vere ſunt poeticæ, & præſtantiſſimis priſci ævi poetis uſitatæ. Hæ delectant maxime lectorem, &, niſi bardi ſit acuminis, doctrina etiam imbuunt. Jam te collige, & ſuum inter poetas principes locum redde FRACASTORIO, quasque res ipſa loquitur, in tanto Muſarum alumno virtutes agnoſce. Ex quibus conſtare etiam poteſt, quam parum rem acu tetigerit OLAUS BORRICHIUS, multum valere arbitratus ad excuſandum FRACASTORIUM, quod doctus hic videri ſemper maluerit, quam ſemper delectare.

Ita enim in *Diſſ. III. de Poetis p. 98* verba ejus: *Utrumque opus (Alconem & Syphilin) epico carmine extulit, docte ſane & prudenter, immiſtis etiam fictionibus poeticis; licet aliquando minus numeroſe, quippe docere ſemper ibi maluit, quam ſemper delectare.* Conf. BAILLETUS *l. c. p. 220.* Parum hæc, ut puto, ad mentem FRACASTORII compoſita excuſatio. Non ideo, quod multa ineſſent *Syphilidi*, quæ naturæ ſpeculatores & Medici egregie convertere poſſent in rem ſuam, putandum erat, hanc FRACASTORII curam fuiſſe potiſſimam, & de eo, quod maximum ac præcipuum eſt in carmine, poetam minus fuiſſe ſolicitum. Fac, eſſe reapſe ita comparatam *Syphilin*, ut doctrinæ plus habeat, quam delectationis; non ita tamen huius rei culpam in FRACASTORIUM conjicerem, ut id dedita opera ab eo factum exiſtimarem. Optime callebat Noſter ingenium poetices, nec unquam ſcripturus carmen videbatur, ſi ad oſtentandam ſaltem doctrinam ſcribendum ipſi fuiſſet. Certe ſuperſedere tunc iis potuiſſet, quæ magno eruditionis apparatu ſubtiliterque ſcripſit de morbo Gallico in libro *de Morbis contagioſis.* Si quid vero parum interdum numeroſe cecinit, non eſt, cur id nimiæ rerum tribuamus ſubtilitati. Quis dixerit, in numeris & vocum ſonis omnem poeſeos ſitam virtutem eſſe? Non tam verborum ac metri, quam rerum delectat ſuavitas; multaque vidiſſe me carmina memini, quæ numeros quidem, at exiguam ad delectandum vim haberent. Itaque ſuaviſſimus videri lectoribus, & poeticas virtutes omnes verſibus complecti poterat FRACASTORIUS, etſi interdum, ipſo veterum exemplo, ne gratiam res ipſa perderet, durior in numeris horridiorque eſſet. Atque tunc vehementer ipſe delectabat animos legentium, magisque delectabat, quam ſi deſtitutis omni nervo & ingenio numeris pondus ingens gravitatemque addidiſſet. Superſunt adhuc alia accuſatorum genera. Sunt enim, qui in ipſa veterum imitatione artem & ingenium poetæ deſiderant. VIRGILIUM, ut ſatis conſtat, præ

aliis

aliis poetis omnibus exprimendum ſibi ſumſit FRACASTORIUS. Et putabam, qui non in imitando feliciſſimum prædicaret, fore neminem. Illud enim, ſi quicquam aliud, præclarum inprimis & admirabile duxi in FRACASTORIO. At intercedit rigidus cenſor REN. RAPINUS in *Réflex. ſur la Poet. en gen. Refl. 32*, qui verborum magis & locutionum, quæ ſunt in VIRGILIO, quam ingenii VIRGILIANI imitatorem, & ſimilem quidem interdum VIRGILII, magis tamen ſui ipſius in plerisque ſimilem perhibet. Inde factum putat, ut modo fervidus & concitatus ingenio, modo frigidus & acuminis in *Syphili* obtuſioris eſſet. Parum honorificum RAPINI de poeſi FRACASTORII judicium, multumque diſcrepans ab eo, quod ſupra attuli. Ejusdem generis ſunt, quæ FRACASTORIO exprobrat ANTONIUS LULLUS BALEARIS *Lib. VII de Oratione Cap. 5. In Syphili*, inquit, *fabulas adeo venuſtas elegantesque immiſcuit, ut, niſi ſecum nonnihil in narrando diſſenſiſſet, dignum exiſtimarem, cui inter magnos poetas locum darent poetæ. Sed homo medicus erat. Haud enim potuit cogitationem fixam in uno argumento diu retinere: adeo ut, licet, principii oblitus, reliquum opus abſolviſſet, cum utraque eſſent laudatiſſima, maluiſſe credibile ſit utraque relinquere.* Nimis hæc in artem medicam contumelioſe dicta, quin inepta plane, ſi recte conſiderentur. Neque ſatis erat, narrationum inter ſe diſſenſionem reprehendere, ſed, ne temere illuderetur famæ FRACASTORII, ipſæ etiam, quæ vitio hoc laborabant, indicandæ narrationes erant. Video tamen, hujus ſe partibus adjungere GERH. JO. VOSSIUM in *Inſtitut. Poetic. Lib. I. Cap. 3. p. m. 51*, illa LULLI dicta verbis magis quam rationibus confirmantem. Ecce autem medius in his BAILLETUS iterum! Ingens his ipſis autoritate ſua ille robur addit, ſcilicet. Solet enim, quicquid viderunt alii, longe ille, qua eſt oculorum acie, videre perſpicacius. Negat, in feliciſſimis VIRGILII imitatoribus habendum FRACASTORIUM; negat, ſuboluiſſe

R 2 ſatis

ſatis poetæ noſtro illud, quod pulchrum & ſublime eſt in VIRGILIO, illud, quod naturale & proprium eſt VIRGILII, & a Gallis vulgatiſſimo illo & in ignorantiæ ſolatium excogitato *je-ne-ſai-quoi* ſolet deſignari. Eſſe quidem, fatetur, Virgilianum aliquid in *Syphili*, ſed nimis deformari illud pigmentis aliunde aſperſis. Degenerare ſæpius a ſe ipſo FRACASTORIUM, ſæpiusque hebeſcere ingenio, nec ſuo ſufficere argumento. Gravi hoc animadverſione dignum eſſe in poeta quovis, nec hecatombis expiandum. Conf. ejus *Jug. l. c. p. 219. ſqq.* Omnibus his, facile adduci poſſem, ut indulgerem aliquid, modo non eſſent in exprobrando vehementes nimis, nec omnem accuſatione ſua proſternere FRACASTORII exiſtimationem viderentur. Ita enim re vera comparata hæc ſunt, ut, ſi eorum convinci poſſit FRACASTORIUS, vix inter Poetas locum mereatur deſpicatiſſimos. VIRGILII non ego affirmaverim univerſas ſingulasque virtutes, excellentiſſimas plane incomparabilesque, ad vivum expreſſas a FRACASTORIO, neque æqualem ſemper in cantando gratiam ei majeſtatemque fuiſſe contenderim; at quod, nunquam in narrando conſtare ſibi FRACASTORIUM, &, præter verba, carminibus ejus Virgilianum nihil ineſſe, criminentur illi, hoc ſane maximopere offenſum me habet, nec æquo ferri animo niſi ab iis poteſt, qui memoriæ Fracaſtorianæ ſunt infenſiſſimi. Tædet me, multa hic pro cauſa FRACASTORII verba facere. Illorum dicta, ut quilibet facile intelligit, veritatis ne quidem habent ſpeciem. Sive enim autoritate pugnemus, innumera ſcriptorum, quos ſupra memoraui, illos teſtimonia convellunt; ſive in rem ipſam inquiramus, nemini, niſi ſenſum omnem abjecerit, perveſtiganti, quotquot exſtant, FRACASTORII carmina, obſcurum eſſe poteſt, quam diligenter a maculis illis ſibi caverit poeta noſter, & quam pauci eum non dico noſtra, ſed ſuperiori ætate hoc laudis genere æquaverint. Suus igitur ſibi ipſe defenſor ſit FRACASTORIUS. Noſtrum eſt,

cedere

cedere veritati, &, nulla acerbiorum judicum, quibus ſordent omnia, habita ratione, ut ipſa carminum fert dignitas, ita de illorum pretio exiſtimare. Singulare quid in *Syphili* FRACASTORII reprehendi video a JAC. GADDIO, ſcriptore acutiſſimo, & earum rerum, quæ ad poeſin ſpectant, peritiſſimo. Nihil ille generatim in ſtructura & compoſitione carminis, nihil in ornatu externo, nihil denique in numeris & metro deſiderat; ſed ſpeciatim *Libri III. Syphil.* eo in loco, ubi homines Chriſtianos poeta fingit ſupplices venerari & tanquam Deum implorare Solem hujusque volucres, in fingendo audacem nimis nimisque profanum exiſtimat. Verba, quibus ſententiam ſuam ediſſerit *P. I. de Scriptor. non Eccleſiaſt. p. 192. ſqq.* pondus aliquod habent, dignaque videntur mihi, quæ cum Lectore communicentur integra. *Intolerabile*, inquit, *meo judicio erratum commiſit, vel excellens Poeta, dum fingit Chriſtianos in lib. 3. Syph. precari ac venerari votis ſupplicibus Solem Solisque volucres, velut Numina; cum una ex iis prædixerit Chriſtianis inauſpicata & infeliciſſima eventa. Parum pius ob impiam pietatem poeta, & bonus vir erravit, imprudenter imitatus Virgilium, in ſimili fictione oblitus divinitatem religionis, neque conſiderans, a noſtræ ſacroſanctæ legibus & moribus abhorrere figmentum illud, redolens Ethnicorum idololatriam, ſive ſuperſtitionem ridiculam. Neque excuſet ſe dicendo, cacodæmones ſub ſpecie volucrum illarum voluiſſe illudere Chriſtianis, vel hos territando in ſuperſtitionem præcipitare. Nam hos non decebat exprimere tam lubricos & timidos, procul a veritatis imagine, vel ſimilitudine. Qui enim alium orbem, aliumque, ut ita dicam, Solem maximo auſu animoque penetrarunt tam difficili, ac tremenda navigatione, haud videntur adeo timidi ac leves, ut ab avibus pene cogantur chriſtianam pietatem ac fidem quodammodo ejurare. Fingendi potius erant contemtores volucrum, earumque vocum, & ad divinam bonitatem ac ſapientiam confugientes, a qua debebant opem implorare ac ſperare.* Delicate

hæc omnia; ſed, ut puto, nimis delicate. Meminiſſe debebat GADDIUS, poetam hic jure ſuo uti, & ſuæ in fingendo libertati relinquendum. Si fingere poetæ alia omnia licet; quidni Solem Deum fingere liceat? Neque ineptum hoc putarim, neque ea de cauſa impium ſtatim dixerim poetam. Nulla in poeta impietatis ſuſpicio. Nihil ille ſerio, & cujus rationem reddat. Impiosne judicabimus poetas omnes veteres, quorum ſuos quiſque ſibi Deos fingit, non ut aris templisque colerentur, ſed ut carmini decus & gravitatem adderent, excogitatos. Sed, Chriſtianos, negat inprimis GADDIUS, decuiſſe hoc, ut Solem Deum colerent; negat, illorum hoc pietati convenire. Unde vero noverat, de Chriſtianis id memorari FRACASTORIO? Haud noſſe ex hujus id verbis poterat. Etſi de gentibus hæc Europæis dicta ſunt; de ſacris tamen, quibus initiatæ illæ, ne verbum quidem proditum, poſitumque in poetæ fuit arbitrio, cujus demum generis homines fingeret. Et quid, ſi poetica figura quadam per Solem Solis dominus intelligendus ſit? Quid, ſi hunc ipſum precati populi peregrini, ut averteret funera, prædicta ab infauſtis avibus? Obmuteſcet, puto, ad hæc GADDIUS. Neque hoc ei datum fuerat, ut FRACASTORIUM doceret meliora fingere. Contemtores, inquit, volucrum, atque tales fingendi erant, qui omnem in bonitate divina ponerent fiduciam. Abſonum hoc & ineptum plane. Quales enim fuiſſe putabis tunc illas volucres inauſpicatas, ſi contemnendas dixeris? Deine Solis, an, quem Chriſtiani colunt, Dei volucres? Hujus, inquis? At non tam contemnendæ hæ fuerunt, quam ne audiendæ quidem. Non enim avium miniſterio uti ſolet Deus ad terrendos homines. Igitur, Soli potius fuiſſe ſacras, contendis? At indignum erat homine Chriſtiano, (ita ipſe putat GADDIUS) eam Soli vel divinitatis ſpeciem affingere, ut avium ſuarum cantu horrenda nobis minari pericula exitiumque poſſit. Quodſi enim profanum fuit, votis precibus-

que

que ſupplicare Deo Soli; divinam ei poteſtatem tribuere, terribilemque peregrinis fingere, æque profanum fuit. Adeo, dum FRACASTORII errorem acriter perſtringit GADDIUS, ipſe nobis ridendum ſe propinat, & rerum ſuarum certus parum, a ſe ipſo magis, quam a FRACASTORIO, diſſentit. Satis jam ſeverioribus FRACASTORII cenſoribus datum. Non id unum nunc agimus, ut ſcriptorum omnium de FRACASTORII in rem poeticam meritis commemoremus ſententias. Vix, colligere ſingulas, & de ſingulis decernere, operæ fuerit pretium. Neque ea, quæ a JUL. CÆS. SCALIGERO in *Syphili* FRACASTORII notata ſunt *lib. VI. de Poet.* paucula & exigua, hic indicari neceſſe eſt. Etenim ea in re deſudaſſe dudum, luculento edito Opuſculo, ANDREAS CHIOCCUS, civis Veronenſis, Medicus egregius, dicitur FRANC. POLÆ in *Elog. Frac. l. c.* Jam vero, ſi quid ipſe habeam, quod minime ferendum putem in carminibus poetæ noſtri, id libere enuntiandum video. Levioris enim foret animi, quæ juſtam intelligentium reprehenſionem incurrunt, laudare ea ipſa, & humani in FRACASTORIO prorſus nihil agnoſcere. Dicam igitur, quid ſentiam, brevibus, nec diſſimulanter. Quantum ad internas ſublimioresque carminis virtutes, earum laude *Syphilin*, *Joſephum*, plurimaque alia poetæ noſtri carmina deſtituenda non puto. Excellentem eo nomine poetam prædico. Excellentiorem tamen prædicarem, ſi, qualem ſe in fingendo & diſponendo, talem in modulando etiam & exornando ſe præbuiſſet. Fatendum eſt enim, negligentiorem interdum, quam decebat, in numeris fuiſſe. Aures minus teretes habeat, neceſſe eſt, cui placeant hic omnia. Durior aſperiorque poeta, nec ubique mollis & canorus ſatis. Non vitio hoc laborarent politiſſima quæque ejus carmina, ſi magis ſibi poeta ab aſperis caviſſet literarum vocalium eliſionibus. Hæ enim ſicut nunquam, ut ego quidem exiſtimo, carmini decus addunt; ita tum quam minime, cum frequen-

tes

tes ſunt & copioſæ. Scatent his metri dehoneſtamentis carmina FRACASTORII ſingula, & verſus pene ſinguli. Studioſe affectata hæc a Poeta, dixeris. Verſus hinc & illinc tales legimus, in quibus, ſi aurium judicium adhibeas, exulare omne metrum credas. Exempli loco eſſe poteſt rigidus ille in *Syphili:*

Immutant, agitantque, utque ipſo ſidera cœlo &c.

& in *Joſepho:*

Somnia qui immiſit, nec, quæ illa intelligat, eſſe ars, &c.

atque ille inprimis in carmine *ad Flaminium:*

Splendet in iis, quod per ſe ipſum eſt, & principium eſſe, &c.

At maxime ſtomachum mihi movent Hexametri, pede poſtremo claudicantes, quales ſunt illi:

ardentiaque aſtra in *Syph.*
plurima in unam. ibid.
ſemina in unum. ibid.
caligine ab atra. ibid.
conſiſtere in ipſo. ibid.
corpora ubique. ibid.
armentave equorum. ibid.
turgentiaque ora. ibid.
nemora eruta in undis. ibid.
en certe ita & hujus. in carm. *ad Gibbertum.*

& quamplures alii. Simile κακοφωνίας vitium iis in verſibus animadverto, quos monoſyllaba claudunt, pondere & gravitate omni deſtituta. ENNII ætatem ſapiunt bini illi:

nonnulla prius, quam
Erumpant tenebris &c. in *Syph.*

& *Si fata mihi ultima dant, ut*
Jam moriar, &c. in *Joſeph.*

Vellem etiam, quantitatum in metro, vt vocant Poetæ, interdum fuiſſet ſtudioſior, nec illa, quæ competere poetis dicitur, abuſus libertate fuiſſet. Quippe talia carminibus

FRA-

FRACASTORII admixta reperias, quæ etſi non prorſus carent autoritate veterum, ab his ipſis tamen, haudquaquam adduci poſſum, ut elegantiæ & venuſtatis cauſa uſurpata credam. Quid enim aliud ſunt hiatus metrici, craſes, diæreſes, ſyſtolæ, diaſtolæ, & ſimilia, quæ figurarum nomine præter meritum ſuperbiunt, quam probra carminis, & verborum, qua laboravit poeta, inopiæ teſtes certiſſimi. Quæ tandem leges poetices, quæ ratio, quis rigor erit, ſi omnia licere poetæ exiſtimabimus? In *Syphili* FRACASTORII prælicenter dicta quædam, duobus verbis monuit LIL. GREG. GYRALDUS *Dial. I. de Poet. ſuor. temp. p. 545. Opp. Gyrald. T. II*, reſpiciens ſine dubio ad illa:

Traxerit ignea vis, qui miſti tenuibus auris, &c.
Vertere, contagisque ad tenuia ſemina coecæ, &c.

& ſi qua alia hic a ſuavitate poetica longius abhorrent. Graviorem tamen hoc nomine cenſuram meretur *Joſephus* FRACASTORII, cui maximam deformitatem afferunt portenta verſuum:

Dîne alieni, aut prava, aut injuſta libido, &c.
Ah ne animis cade, ne te ipſam deſere nata, &c.
- - - *dubius huc ſpectat & illuc*, &c.
- - *humeris accingit tenuibus alas*, &c.
- - *cur non frater huc venit & alter?* &c.
Vidit vir magnus, & ab ipſo Rege ſecundus, &c.
Virginibus hauribat aquas, &c.

Sic & in carmine *ad Margaritam Valeſiam:*

Attollis animos, patrioque aſſueſcis olympo, &c.
&: *Aut arces tollis, aut propugnacula ſcandis*, &c.

Plura alibi. Addi his verſus tales poſſunt, in quibus tantum eſt ſyllabarum vitium, ut nullo veterum exemplo, nec figuræ cujusdam titulo defendi poſſint. Cujus generis illum puto in *Joſepho:*

- *Per Superos niſi Benjamin duxerimus ipſum*, &c.

& in carmine *ad Flaminium*:

Ipſe etiam pater interpres oracula ſolvit.

Alia proferrem, ſi, quæ ſcripſit FRACASTORIUS, carmina perquirere ſolicite ſingula, & ad metri leges exigere, animus eſſet. Satis hæc comprobare dicta noſtra, &, in numerorum inſtructu non ubique diligentiſſimum fuiſſe FRACASTORIUM, abunde declarare poſſunt.

§. VI.

Tam varii, tamque præclari in quavis doctrinæ parte poſiti laboris, tantorumque in optimas quasque literas meritorum fama cum magis magisque in dies percrebreſceret, jamque in clariſſima luce verſarentur æterna virtutis divinæ & incomparabilis ingenii ejus monumenta; non potuit non brevi tempore ad eam Fracaſtorius pervenire dignitatem gloriamque nominis, ut nemo eſſet ex omni Italia finitimisque regionibus, qui non omni eum honorum laudumque genere digniſſimum judicaret. Unde non apud eruditos tantum maxima paſſim gratia & autoritate (a) valuit, & amicos (b) habuit tam generis nobilitate præſtantiſſimos, quam loco, ordine, virtute, & ingenio ornatiſſimos, quorum, ni fallor, præcipui fuerunt, Andreas Naugerius, (c) Joannes Baptiſta Rhamnuſius, (d) Julius Cæſar Scaliger, (e) Joannes Fernelius, (f) Joannes Jacobus Bardulo, (g) Joannes Cotta, (h) Joannes Pierius Valerianus, (i) Marcus Antonius Flaminius, (k) Torellus

rellus Sarayna, (l) Caſpar Contarenus, (m) Joannes Baptiſta Montanus, (n) Antonius Marius, (o) Aloyſius Mundella, (p) Joannes Franciſcus Otthobonus, (q) Marcus Antonius, (r) Joannes Baptiſta, (s) & Rhaimundus, (t) Turriani, fratres germani, Franciſcus Turrianus, (u) atque Petrus Bembus, (x) Venetorum decus egregium; ſed viros etiam in republica principes graviſſimisque muneribus illuſtres, Joannem Matthæum Gibertum, (y) Veronenſis civitatis Epiſcopum, Alexandrum Farneſium, (z) & Chriſtophorum Madrutium, (aa) ſacra utrumque purpura inſignem, quin & Paulum III, (bb) ac Julium III, (cc) ſummos Pontifices, amplificatores fortunæ dignitatisque ſuæ coluit liberaliſſimos. Quorum propenſiſſima erga Fracaſtorium voluntas etſi plurimum ad gloriam ejus exiſtimationemque attulit; latius tamen poſtea temporis de immortalibus ejus meritis rumor diſſeminatus, &, quod apprime glorioſum ei fuit, ad aures perlatus eſt Caroli V, Imperatoris, qui per Piſcarium, Venetæ ditionis oppidulum, iter faciens, conſpecto forte Fracaſtorio, qui viſendi ejus cauſa ex Caphiis ſuis accurrerat, mirabundus ſubſtitit, & ex omni, qua circumfuſus fuit, multitudine in hunc unum diu ſatis oculos vultumque defixit. (dd) Nec minus ad omnem poſteritatem memorabile illud eſt, quod ſola nominis ſui fama commendatus Marga-

ritæ Valeſiæ, Galliarum Regis ſorori, tam rebus Muſisque ſuis faventem expertus eſt, ut & honeſtiſſimis ejus muneribus, & precibus humaniſſimis, ad transferendam ex Italia in Galliam ſedem domeſticam ſæpenumero invitatum ſe ſolicitatumque cerneret. (ee)

(a) Quantam FRACASTORIUS ſcientiæ medicæ opinionem habuerit per Italiam, evidentiſſimo documento ſupra oſtendi. Etenim ab ANTON. FUMANELLO & BARTH. GAJONO, nobiliſſimis Medicis, de vini natura inter ſe diſceptantibus, is FRACASTORIO habitus eſt honos, ut controverſiæ ſuæ ipſum dicerent arbitrum honorarium, ratumque haberent, quicquid ab eo fuerat judicatum. Nec minori ſua in rem poeticam merita gloriæ ceſſere FRACASTORIO. Gratulari arti ſuæ tum demum ſolebant excellentiſſimi quique poëtarum, cum probari Muſas ſuas & in pretio quodam haberi FRACASTORIO intelligerent. Meliora doceri a FRACASTORIO, & magiſtro hoc uti, pudebat neminem. Sane LUDOVICUS ARIOSTUS, *Homerus* ille *Ferrarienſis*, ut vocatur JAC. GADDIO *de Scriptor. non Eccl. P. I. p. 35*, carmen divinum, cui nomen *Orlandi* dedit, non niſi FRACASTORII politum lima & induſtria in lucem prodire paſſus eſt. Ex quo illud apparet, haud exiguam ejus gloriæ, quam ſibi peperit *Orlando* ſuo ARIOSTUS, partem fuiſſe cum FRACASTORIO communicandam. Scriptoris fide digniſſimi FRANC. POLÆ in *Elog. Frac. l. c.* ea de re verba hæc ſunt: *Arioſtus etiam Ludovicus tanti Fracaſtorium feciſſe dicitur, ut divinum illud ſuum Etruſcum poema non niſi ab ejus animadverſione quamplurimis in locis, & in ipſa operis ingreſſione emendatum, edere voluerit, eundemque ſæpius, quam optaverat, judicium de illo ſuum prorogantem, ne interpellare quidem, niſi demiſſiſſime, auſus fuerit.*

(b) Fe-

(b) Felicem hoc nomine prædicamus merito FRACASTORIUM, quod amicis uſus eſt non ſolum permultis, ſed generis etiam honeſtate, & doctrinæ præſtantia admodum conſpicuis. *Habuit* enim, ſi vera refert *Autor Vitæ Frac. p. 5. ſqq. inimicum merito neminem, amicos* vero *nobiles quosque totius Europæ, atque in omni doctrinæ genere præſtantes viros, - - tam fauſto felicique ſemper eventu, ut illum omnes, non ut ſummæ doctrinæ ac probitatis virum, adamarent, ſed quaſi quoddam in terras delapſum numen mirarentur.* Neque ejus rei obſcura eſſe cuiquam cauſa poteſt. Per ſe expetenda FRACASTORII fuit amicitia, ob fructus, quos ſperare ex ea quisque poterat, uberrimos. Quodſi enim ea amicitiæ ſolent eſſe commoda, ut, ſi quid alter habeat, quod utilitatem afferre poſſit alteri, illud in commune conferat; quid non ſperari potuit ei, cui cum viro tam docto & rerum optimarum ſcientia ornatiſſimo quotidiana interceſſit conſuetudo. Nobiliſſimum hoc amicitiæ genus, erudite ac copioſe expoſitum a celeberrimo CHRISTOPH. AUG. HEUMANNO in *Progr. de Amicitia literata, Gottingæ 1729* edito. Adhæc totus velut factus ad amicitiam videbatur, atque tanta ejus erga amicos fides & integritas, tanta erat in præſtandis officiis humanitas, ut optatior acceptiorque, meo judicio, nemini contingere amicus potuerit. *In amicitiis alendis*, ait idem *Autor Vitæ Frac. p. 6, ac conſervandis, (ut pauci ſolent) fuit Hieronymus inprimis diligens ac circumſpectus. Amabat omnes, omnium ſemper obſequiis ac commodis erat intentus, ut - - - eos, quorum fidem benevolentiamque in ſe cognitam atque exploratam habebat, mutuis atque iis quidem fere ſemper majoribus obſequiis proſequeretur, & non viventes ſolum, quod magnum eſt, coleret, ſed ſuam in vita functos etiam, quod præſtantius eſt, benevolentiam, quantum in ſe eſſet, voluerit teſtatam relinquere.* Quis eſt igitur, quem bonorum virorum dignum amore putemus, ſi FRACASTORIUM non putabimus? De LUD. ARIO-

STO, FRACASTORII aut amico, aut diſcipulo, dictum eſt ſub *not.* (*a*) *hujus* §. De reliquis, iisdemque præcipuis, quorum præclara in FRACASTORIUM merita nobis ſunt cognita, ordine jam ſtrictimque commemorabimus.

(c) ANDREAS NAUGERIUS, Patricius Venetus, quem ipſe FRACASTORIUS *virum, non omni modo optimarum ſcientiarum genere ornatum, ſed multis magnisque gerendis rebus ad patriæ commoda & ſalutem natum* dicit *Lib. II. de Morb. Contag. Cap. 6*, de patria ſua præclare meritus eſt graviſſimis legationibus, ad Carolum V, Imperatorem & Franciſcum I, Galliarum Regem, ſuſceptis. Doctrina inclaruit varia ac multiplici, gravis Hiſtoricus, Orator eloquentiſſimus, venuſtiſſimus Poeta. Major tamen ejus viventis, quam poſt mortem, fama fuit. Scripſit egregia multa, quorum pars minima pervenit ad poſteros. Horum enim plurima paulo ante mortem flammis ipſe abſumſerat, propterea quod ea non ſatis digna duceret poſteritate. Eo cariora nobis eſſe debent pauca illa, quorum nobis facta eſt copia, carmina, & Orationes quædam, amicorum opera ab interitu vindicatæ. De ejus fortuna, publicis muneribus, re domeſtica, virtutibus, excellenti ingenio, haud vulgari eruditione & triſtiſſimo vitæ exitu, multa refert, adjectis paſſim præconiis opportunis, *l. c.* FRACASTORIUS. Hic ex eorum fuit numero, quibus FRACASTORIUS uſus eſt familiarisſime; teſte JO. IMPERIALI in *Muſ. Hiſt. p. 17.* Prima hujus amicitiæ initia capta ſunt in Academiis Patavina & Foro-Julienſi, ubi ſtudiorum quondam, ut ſupra dixi, honeſtiſſimam juvenes nobiliſſimi ſocietatem coierant. Eo ex tempore mira ſemper animorum inter eos fuit conſenſio, non niſi morte NAUGERII, quæ, maximo FRACASTORII dolore, mature nimis, anno nempe 1529, contigit, interrupta. Ipſe *amicum ſuum* vocat NAUGERIUM, & *rariorem* cum eo *atque intimam amicitiam interceſſiſſe* ſibi, docet FRACASTORIUS ſub initium *Dial. de Poetica.* Confirmare arctis-

arctiſſimum hoc vinculum mutuis ſolebant congreſſionibus, etſi locorum quodam intervallo a ſe invicem disjuncti. Sæpenumero enim Venetiis, relaxaturus animum occupationum moleſtiis, Veronam conceſſit NAUGERIUS, atque inde, comite FRACASTORIO, in montes Caphios, amœniſſimum hujus prædiolum, divertit. Teſtem ejus rei habeo ANDR. CHIOCCUM *de Colleg. Veron. Med. Sect. I. Cap. II. In præcipuis,* inquit, *magni Fracaſtorii laudibus id ponendum eſt, quod virorum clariſſimorum floruit amicitia - - - & Navagerii, - - quin Navagerium in ſeceſſus Caphios, Fracaſtorii Parnaſſum & Tempe, ſæpenumero cum Turrianis ſuis deductum, cum Veronam ad eum inviſendum accederet, ſcimus.* Nec ipſius FRACASTORII deſunt teſtimonia. In carmine *ad Franc. Turrianum* ita canit ille:

> - - *etiam has ſedes,* (Caphias,) *hæc limina magnus*
> *Naugerus ſubiit,* &c.

Meminit etiam in principio Dialogi, quem *Fracaſtorium* inſcripſit, colloquii eruditi, a ſe ipſo TURRIISque fratribus & NAUGERIO in Caphiis de anima humana inſtituti, ubi ſimul, *dulci quadam memoria ſalutatos* a *Naugerio* Caphios, refert, *quod Caphios in Arcadia recordaretur a Theophraſto ſimiliter appellatos.* Solebant vero, quandocunque in mutuum venirent congreſſum, de rebus inter ſe conferre doctis & ad literarum omne genus ſpectantibus; ut ſane honeſtior nulla laudabiliorque, quam quæ inter FRACASTORIUM fuit & NAUGERIUM, eſſe unquam poſſit amicitia. Et gaudemus inprimis, communia illorum ſtudia ad noſtrum etiam aliquem redundaſſe fructum. Nam, quos edidit FRACASTORIUS, tres *de Poetica, Intellectione, & Anima humana* Dialogi nihil comprehendunt, quod non amicis antea NAUGERII, TURRIORUM, atque FRACASTORII ſermonibus, ſive in Baldi ſeceſſu, ſive in montibus Caphiis, fuerit confectum. Qua de re dubitare neminem ſinunt ipſa FRACASTORII verba, ſin-

gulis

gulis Dialogis præmiſſa. Unde factum etiam, ut daturus aliquid veteri amicitiæ FRACASTORIUS primum *de Poetica* Dialogum *Naugerium* inſcriberet, & in illo de arte poetica docte graviterque differentem ſiſteret NAUGERIUM. Quo ipſo *ſublime Naugerii ingenium & ſingularem eloquentiam ab oblivione hominum vindicatam, & ipſi conſecratam æternitati* putat *Autor Vitæ Frac. l. c.* Id quod certius affirmare nobis liceret, ſi, quæ docet in Dialogo illo NAUGERIUS, re vera ita eſſe ab ipſo olim propoſita, omni careret dubio. Sane, *reviſos a* ſe *diligenter*, *relectos atque ita exornatos* hos Dialogos, *ut in lucem emitti facile poſſent*, ipſe non diſſimulat FRACASTORIUS in *Præfat. Dial. de Poet.*

(d) Veneto Venetum, NAUGERIO RHAMNUSIUM jungo, eodem, quo ille, munerum ampliſſimorum ſplendore effulgentem. Illuſtriſſimo enim Decemvirorum ordini Senatus Veneti a ſecretis fuit. Magis hic negotiis publicis & doctrina civibus ſuis, quam ſcriptis poſteritati innotuit. Nulla, quantum ego ſcio, publica ingenii ejus monumenta exſtant. Quæ cauſa eſt, ni fallor, cur penes vulgares vitarum ſcriptores altum ſit de RHAMNUSIO ſilentium. Neque tamen defuiſſet ei, ſi per muneris gravitatem id licuiſſet, ad conſcribenda optima quæque ingenium. Fuit ſane vir excellenter doctus; etſi ſibi ſoli doctus. Unde viventem venerati, & laudibus proſecuti ſunt viri præſtantiſſimi. Quin laudibus proſecuti ſunt ejusmodi, quæ non niſi homini literatiſſimo decerni ſolent. *Virum magnum* ANDR. CHIOCCUS *l. c. Græcarum literarum, ſed Coſmographiæ præſertim, atque omnis fere hiſtoriæ peritiſſimum Autor Vitæ Frac. p. 2*, ac *utriusque linguæ peritiſſimum, & eorum, quæ ad bonas literas & diſciplinas attinent, multa perdoctum* ipſe dicit FRACASTORIUS in libro *de Sympath. & Antipath. Cap. 24.* Specimen eruditionis ejus deſideranti ſatisfacere quodammodo poſſunt, quæ de novis quibusdam ſympathiis contra FRACASTO-

RIUM

RIUM acute ſubtiliterque diſputavit, relata breviter a FRACASTORIO *l. c.* Ita enim hæc ſunt comparata, ut obviam ituro illis FRACASTORIO haud leve faceſſere negotium potuerint. Fuiſſe hunc intima familiaritate conjunctum Noſtro, tam JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. l. c.* ANDREÆ CHIOCCI *l. c.* & *Autoris Vitæ Frac. p.* 7, quam ipſius FRACASTORII teſtimonio compertum habeo. Is amicitiæ hujus arctiſſime colligatæ meminit *l. c.* & *amicum optimum* in principio *Dial. de Intellect.* atque *amicum jucundiſſimum* ſub *init. Dial. de Poetica* nuncupat RHAMNUSIUM. Excellentis *boli armenii*, ſibi amicitiæ ergo a RHAMNUSIO Venetiis dono miſſi, mentionem facit *lib. III. de Contag. morb. Cap.* 2. Vehementer dolet in *Dial. de Poet. l. c.* raro ſibi hanc indulgeri voluptatem, ut RHAMNUSIO uti ſocio poſſit, *quod rerum conditiones & diverſa vitæ ratio* utrumque *loco & dulci conſuetudine plurimum ſejunxerit.* In Patavino primum Gymnaſio, ubi ſtudiis uterque operam dabat, coaluerant illorum animi, poſtea temporis conglutinati magis fidei religione & amoris conſtantia. Publica animi integerrimi monumenta exſtare juſſit FRACASTORIUS *Dialogos* tres, quos paulo ante memoravi, ſingulos RHAMNUSIO, amico veteri, inſcriptos. Quam ſingularem FRACASTORII erga ſe benevolentiam mutuis ille ſtatim officiis rependit. Cura enim effecit ſumtibusque ſuis, ut hi ipſi *Dialogi*, quos diu ſatis in ſcriniis ſuis autor aſſervaverat, in eruditorum tandem prodirent conſpectum. Colligere id facile potes ex iis, quæ ſcripſit FRACASTORIUS in *Præfat. Dial. de Poet.* Neque poſt mortem demum FRACASTORII amoris ardor ille deferbuit RHAMNUSIO, ſed tum maxime amici olim conjunctiſſimi ipſe coluit memoriam, utque immortalitati eam commendaret, inſignem FRACASTORIO ſtatuam conſecravit, quæ illuſtrem viri imaginem repræſentaret. De qua aptior dicendi locus infra dabitur. Primus etiam fuiſſe dicitur JAC. GADDIO in *Allocut. & Elog. p.* 68, qui ſigillatim editos antehac

T

tehac FRACASTORII libellos integro volumine complexus ſit, & in lucem prodire juſſerit ornatiores.

(e) Notior vulgo JUL. CÆS. SCALIGER, quam ut eximia ejus in omnem doctrinam merita prolixa commemoratione noſtra videantur indigere. Omnia de eo dixiſſe putabor, ubi Criticum, Grammaticum, Medicum & Poetam ſuæ ætatis dixero illuſtriſſimum. Natum in ditione Veronenſi, genusque duxiſſe ex antiquiſſima Ducum Scaligerorum gente, inter omnes conſtat. Communem igitur SCALIGER atque FRACASTORIUS patriam habuere. Literarum etiam ſtudiis & artis profeſſione ambo conjunctiſſimi. Cujus generis homines ſponte conſociari inter ſe, & voluntate, ſtudiis, conſiliisque omnibus conſpirare ſolent amiciſſime. Unde fieri non potuit, quin primo quoque tempore SCALIGERUM amicum ſociumque ſibi FRACASTORIUS adjungeret. Quæ res dubium non habet, etſi, quod miror, non exſtet in ſcriptis FRACASTORII, unde colligere id detur, veſtigium. Perquirenti mihi ſcripta ejus ſingula, ne verbum quidem occurrit, quod ad SCALIGERUM ſpectare vel aliquantulum videatur. Nec ipſum nomen SCALIGERI usquam lectum mihi memini. Doleo, non in his terris copiam haberi poſſe Epiſtolarum familiarium FRACASTORII, quæ, ſermone ſcriptæ vernaculo, cum aliis aliorum Epiſtolis jam olim prodiiſſe in lucem dicuntur ANDR. CHIOCCO *l. c.* Ex illis enim, non dubito, quin multa nobis, quæ ad rem FRACASTORII domeſticam & vitæ rationem, quin ad amicos & familiares ejus pertinent, cum noſtro quodam fructu, hauriri poſſent. Sed carere illis jubemur; & ſufficere jam nobis eorum, qui exploratæ ſatis ſunt fidei, ſcriptorum debent teſtimonia. Faciunt amicitiæ, quæ FRACASTORIO interceſſit cum SCALIGERO, mentionem ANDR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. IV. P. I. p. 215. ſqq.* & ANTON. TEISSIERIUS in *Elog. T. I. p. 169 & 171.* Copioſius eam rem perſequitur *Autor Diar. Eſſais de Liter.*

Liter. 1702. menſ. Nov. p. 288. ſqq. qui, ſæpius congreſſos ad colloquium viros literatiſſimos, tamque rebus SCALIGERI addictum fuiſſe refert FRACASTORIUM, ut cauſam ejus contra adverſarios graviſſimos defendendam ſcriptis ſuſceperit. Vellem, addidiſſet Autor, cujus fuerint generis hæc ſcripta, qua in cauſa occupata, quibus oppoſita adverſariis, quo æſtimanda pretio, num unquam data foras, an privatim ſaltem communicata cum adverſariis. Magnam profecto illius rei a nobis gratiam iniiſſet, utpote quibus nihil ea de re conſtare poteſt ex *Operibus* FRACASTORII, alio atque alio tempore junctim publicatis. Quantum amaverit FRACASTORIUM & ſuſpexerit SCALIGER, exquiſita, quibus ſæpius ornavit eum, teſtantur præconia, paſſim a nobis adducta. Multa etiam in mortem FRACASTORII, diverſis quidem carminum generibus, ſcripſit Epigrammata, quæ integri libri ſpatium occupant in *Collectione Carminum Scaligeri.* Quem librum ille, velut æternum ſui erga FRACASTORIUM amoris monumentum, mira pietate inſcripſit *Aras Fracaſtoreas.* Unde eleganter admodum JAC. AUG. THUANUS *Hiſtor. lib. XII. ad ann. 1553. p. m. 576: Ei* (FRACASTORIO) *certe hujus ſeculi ingens miraculum Jul. Cæſ. Scaliger tanquam illarum, quas dixi, ſcientiarum & poetices ſummum faſtigium conſecuto, aras erexit.* Incidit forte in hæc THUANI verba parum ſagacis ingenii vir BAILLETUS, &, quod riſum vel ipſi movere Catoni poſſet, ita hæc pro acuminis ſui modulo eſt interpretatus, ac ſi divinos FRACASTORIO honores habuerit SCALIGER, & aras ei, tanquam Deo ſcientiarum præſidi, erexerit, marmore exſtructas forte & thure fumantes Panchaico. Qua ipſa de cauſa idololatriæ arguit SCALIGERUM, nihil minus merentem, hancque vehementer ei exprobrat. Acu rem tetigit, ſcilicet. Subtilis naſi Gallus, mire elegans interpres. Vid. BAILLETUS *l. c. p. 216*, &, qui errorem hunc ſcite redarguit, illuſtris DE LA MONNOYE in *Notis ad hunc*

Bailleti locum. Nec minus in ANT. TEISSIERIO *l. c. p. 171,* & DAN. GEORG. MORHOFIO in *Polyhiſt. T. I. lib. VII. Cap. 3. §. 8. p. 1064* reprehendo, quod inſcriptione illa, quam libro Epigrammatum ſuorum præfixit SCALIGER, itidem, etſi non tam turpiter, decepti, non niſi unum compoſitum ab eo in laudes FRACASTORII carmen, idque inſcriptum: *Aræ Fracaſtoreæ*, dixere, cum Epigrammata ille ſcripſerit complura, nec tam ſingulis id nominis dederit Poeta, quam univerſis.

(f) De JO. FERNELII, Medici inter Gallos egregii, erga FRACASTORIUM ſtudio & voluntate, nihil habeo, quod dicam, niſi quæ prodita ſunt memoriæ ab *Autore Diar. Eſſais de Liter. 1702. menſ. Nov. p. 287.* Is, non amicitia tantum, ſed arctiſſima quoque amicitia junctum, refert, FRACASTORIO FERNELIUM, hujusque ſuaſu, conſilio, ac precibus effectum, ut iter ille ſuſciperet in Galliam, & difficilioris puerperii, quo Catharina de Medicis, Regina Galliæ, laborabat, cauſas exploraret, atque certiſſima FERNELIO, amico ſuo, quibus tolleret Reginæ morbum, remedia ſuppeditaret. Dixi ea de re ſupra §. *IV. not. (g).* Quod ſi ita re vera geſtum, (certi enim nihil definire audeo,) rarum & inauditum fere Galli cum Italo conſpirantis, & amiciſſime conſpirantis, exemplum habemus. Sed ſatis erat, Medicum excellentem utrumque, utrumque fama celebratiſſimum, utrumque virum honeſtum, & in ſervandis amicitiæ legibus eſſe conſtantiſſimum. Et quis ignorat, facilius plerumque, quæ inter abſentes per literas, quam quæ conſuetudine quotidiana inter præſentes colitur, ſuſtineri amicitiam?

(g) Ex eorum numero eruditorum fuit JO. JAC. BARDULO, civis Mantuanus, quos viventes quidem maxima doctrinæ laude inclaruiſſe conſtat, ſed quorum fama ſtatim cum morte ipſorum interiit. Nihil enim, quo immortalitati nomen ſuum commendaret, per omnem vitam, quantum ſcio, literarum tradidit monumentis, etſi multa omnino poſſet, *vir*

lingua

lingua utraque diſertiſſimus, & *mathematicarum rerum inprimisque omnis Aſtronomiæ peritiſſimus*, uti vocatur ipſi FRACASTORIO in principio *Dial. de Poet. Subtile ac valde acutum in omni Philoſophia ingenium* ei tribuit *Autor Vitæ Frac. p. 6.* Scimus etiam, non rudem adeo fuiſſe in re poetica, ſed multum hic, ſi non ingenio, ſaltem ſcientia & cognitione valuiſſe. Etenim Dialogi, quem *de Poetica* ſcripſit FRACASTORIUS, haud exiguam partem ſibi vindicat BARDULO, quippe qui unus hic de artis poeticæ dignitate & Poetarum virtutibus doctos cum NAUGERIO miſcere ſermones fingitur. Adeo in omnibus æqualis FRACASTORIO ſimilisque BARDULO, etſi non in ſingulis tam excellens forte & egregius. Inter amicos FRACASTORII ideo referre eum non dubito, quod in *cit. Dial.* memoretur in jucundum hujus veniſſe colloquium, & eo comite, ſociisque NAUGERIO & amicis aliis, in Baldi frigora ſeceſſiſſe, horumque omnium vehementer delectatus conſuetudine.

(h) De JO. COTTA, in agro Veronenſi ad Alieniacum pontem nato, poeta ſuaviſſimo, ſed in medio gloriæ curſu rebus humanis erepto, cum paucis verbis multa dixerit JAC. GADDIUS *de Script. non Eccl. T. I. p. 46*, ea nobis, ne nihil prorſus de juvene doctiſſimo commemoremus, eſſe inſtar omnium hic poterunt. *Cottam*, inquit ille, *illuſtravit poeſis amatoria, qua Catulli ſtilum ita expreſſit, ut aliqua ex parte ſuperaſſe, quem imitabatur, judicetur a Scaligero atque Flaminio. Qui laſcivum poetam imitatus eſt in carmine, ſecutus eſt brevitate vitæ, quam amiſit plane juvenis, dignus longiori, ſi maturum, grave, caſtumque ſcribendi genus adhibuiſſet. Corrupto tamen ævo laſciviamque amanti, vel certe nimiam mollitiem aut teneritudinem poeticam, poëmatia Cottæ ſæpius edita fuerunt olim, quæ deinde florentibus poetis nobilioribus & gravioribus languere ſunt viſa.* Hunc in Academia Patavina commilitonem olim ſtudiorumque ſocium habuit FRACASTORIUS;

RIUS, id quod memini ſupra a me dictum. Neque dubium eſt, ab illo tempore ad COTTÆ usque mortem continuatam inter eos amicitiam, & ardentiſſimo amore mutuo confirmatam. Tenerrimis enim lachrymis funera COTTÆ proſecutus eſt Noſter, orbatumque ſe doluit amico ſuaviſſimo in Elegia *ad Jo. Bapt. Turrianum*, ubi inter ſuſpiria gemitusque multos canit:

Nec ſat erat. Miſeri crudelia funera Cottæ
Flevimus. O indigna Cotta peremte nece!
O Cotta infelix, quæ te fata impia nobis
Tam ſubito ante tuos abripuere dies.

Deſperationis & impietatis plena hæc verba dicerem, niſi poetæ, furore ſuo abrepti, aut amici, juſto dolori fræna laxantis, eſſe verba intelligerem.

(i) JO. PIERII VALERIANI, gente Veneti, *Hieroglyphicorum* poſt HORUM ſcriptoris præſtantiſſimi, *Viri*, ut judicat FRANC. ROBORTELLUS in *Arte Critica*, *digniſſimi, qui ab omnibus ametur & colatur*, quantus erga FRACASTORIUM amor fuerit, optime edocere quemque poteſt hujus ad FRACASTORIUM Epiſtola, *libro I Hieroglyphicorum ejus* Dedicationis loco præmiſſa, quæ cum ſcripta ſit affectu plane tenerrimo, & laudes FRACASTORII fere innumerabiles, quin & de vita ejus haud pauca commemoret, nec ſermone exarata ſit ineleganti, non adeo indigna videtur, quæ legatur hic loci integra. Ita vero ſe habent verba Epiſtolæ: *Quamvis parva admodum inter nos conſuetudo fuerit, eoque ſe eſſu Olivetano Veronenſis agri, quo mihi per continuum triennium frui temporum eorum permiſit quies, dum tu Veronæ tuis, ego ibi meis tum ſtudiis, tum negotiis incumbebamus, vix ter facultas data, ut eſſe una poſſemus, neque antea te Patavii, quo me ad Philoſophiæ ſtudia contuleram, videre licuerat, quod inde paulo ante diſceſſeras, quam ego adveniſſem; tua tamen te virtus ita mihi ex eo tempore conciliaverat, ut,*

quem

quem ob ſummum ingenium ſummamque doctrinam plus te uno diligerem, certe neminem haberem. Omnium enim voce commendationeque politiſſimis literis & liberalium omnium artium ſtudiis clarebas, clarusque & celebris habebare: unde meus erga te, quem adhuc ex facie non agnoſcebam, coepit cultus, qui mox cum ætate accrevit ſimul, majoribus ſcilicet in dies ad virtutem profectumque tuum additis incrementis. Ab eo vero tempore, quo bella illa calamitoſiſſima, tam aſpera, tam continua, me non modo ex tranquillo eo ſeceſſu exturbaverunt, verum tota etiam patria expulerunt, quamdiu foris profugus, errabundus, inops vixi, tui ſemper memor, atque ſolicitus tui, quod vicem etiam tuam & bonorum omnium ingemiſcebam, & ubicunque locorum cives tuos diſperſos etiam ipſos comperiſſem, nunc per Aligeros fratres, Petrum & Ludovicum, nunc per Alithæum, Zavariſium, Turrianos, nunc per alios amicos tuos, quos doctrinæ nomine veneror, curabam, ut meus erga te amor tibi fieret perſpectiſſimus: idque officii ab aliquibus ex his mihi non indiligenter præſtitum confido. Sed quoniam vel his teſtibus tam locupletibus mihi nondum ſatisfaciebam, decrevi tandem, quaqua ratione poſſem, aliquod hujusmodi mei erga te animi ſignum manifeſtius exhibere. Igitur cum labores meos in Ægyptiorum Hieroglyphica explicanda recenſerem, pleraque id genus Commentaria in amicos diſtribuerem, tuque non in poſtremis eſſes, plantas duas inſigniores elegi, Palmam & Laurum, easque a noſtratibus longe diverſas, ex Ægyptiorum quippe locis a me primum in Italiam translatas, quas tibi dono mitterem. Palmam quidem, ob ſublime illud ingenium tuum, quod ad excelſa quæque proſpero eventu ſeſe attollere contendit, cujus evectus pennis toto primum cælo Epicyclos ſummoviſti, priorum Aſtrologorum machinas demolitus, facilem & permeabilem Planetis viam complanaſti. Laurum autem, quia tu, re optime in cælo geſta, ad infima mox terræ loca deſcendiſti, tanquam Hercules alter triumphabundus: ſed qui in ſuperiorem orbem, non ut ille, de viſceribus terræ cer-

berum

berum traxeris, qui aconitum ad mortalium perniciem evomeret, ſed ab Antipodibus Syphilum illam tuam admirandi vigoris plantam aſportares, quæ morbis omnibus, tam cognitis, quam incognitis, præſentanea remedia & incolumitatem efficaciſſime conferret. Quod vero ad plantas attinet, ſpero, eas a te benigne ſuſcipiendas, deque earum ſurculis amicitiæ noſtræ firmitatem colligari poſſe, quam diuturnam perpetuamque fore mihi perſuadeo: quia meus erga te amor, cultus & obſervantia talia mihi pollicentur; tuque ut ameris ab omnibus, ingenii doctrinæque tuæ monumenta, uno doctorum omnium ore celebrata, depoſcunt: quorum quidem operum ſtudiorumque tuorum omnium felicitatem agnoſcimus, & omnium poſteritati celebrem & illuſtrem fore, plurimum & ex animo gratulamur. Ita VALERIANUS, animi vir honeſtiſſimi, &, ſi quisquam alius, FRACASTORII ſui profecto amantiſſimus. Multa, quæ ſcire noſtra intereſt, iſtæ habent literæ; ſed hujus loci inprimis illud eſt, quod cum ipſis ALIGHERIIS, PETRO & LUDOVICO, Juris peritiſſimo, nec non ALITHÆO quodam, & ZAVARISIO, neſcio an DANIELE, an VIRGILIO, vixiſſe FRACASTORIUS dicatur conjunctiſſime.

(k) Non in ultimis amicorum FRACASTORII ponendus videtur M. ANTON. FLAMINIUS, poetæ JO. ANTONII filius, poeta ipſe nulli ſecundus. Colligere id licet tam ex honorifico elogio, quod de FLAMINIO tulit FRACASTORIUS *lib. II. Dial. de Intellect. p. m.* 142, ubi *ſanctiſſimum* vocat *virum, & utriusque linguæ doctiſſimum*, quin *Poetam ſui ſeculi eximium*, & de ejus quodam ſomnio mira ac inaudita refert, non, ut puto, niſi ab ipſo accepta FLAMINIO, quam ex carmine ejus *ad Flaminium & Galeatium Florimontium*, quod etſi nullam amicitiæ inter ipſos colligatæ faciat mentionem, nec tenero nimis ſcriptum affectu ſit, familiari tamen atque tali plane ſcriptum eſt ſermone, quem inter amicos ſcimus quam maxime eſſe uſitatum. Argumentum quoque carminis

ita

ta eſt comparatum, ut valde dubitem, an de eo ſcripturus poeta fuerit ad homines non niſi nomine aut fama ſibi cognitos. Neque dubitandum plane ea de re, cum & FRANC. MARIA MANCURTUS verbis perſpicuis amicum FLAMINII dixerit FRACASTORIUM in *Vita Flaminii*, præmiſſa *Carmin. Flam. edit. Patav. 1727. p. 15*, & FLAMINII perjucundum *ad Fracaſtorium, amicum ſuum*, exſtet carmen *Lib. V. Carm. ejus n. 51. p. 148*, quo ægrotus ipſe & peſſima tabe confectus FRACASTORII, Medici nobiliſſimi, ſolicite implorat opem, vel ſola ſuavitate ſua auribus Lectorum digniſſimum. Ita vero Poeta:

Fraſtori venerande, cui medendi
Uſum pulcher Apollo, carminisque
Artem donat habere, nonne cernis,
Tuum Flaminium perire dira
Tabe? non recreat cibus miſellum;
Non grata vigiles quiete ocelli
Teguntur: macie vides ſuprema
Corpus confici, ut umbra inanis eſſe
Jam plane videar; modisque miris
Pallor occupat ora; languidosque
Artus vix traho; nec juvare poſſunt
Dulci carmine candidæ Camœnæ,
Nec blando alloquio boni ſodales:
Ipſa ſed mihi lux amara, & atræ
Noctis tempora ſunt amariora
Felle, & Theſſaliæ malis venenis.
At tu, candide amice, vel ſodali
Fer tuo auxilium, vel, ipſa morbi
Si vis tabifici recepta venis,
Humanis opibus, magiſtræ & arti
Neſcit cedere, carminum tuorum
Lepore advoca Apollinem, rogaque,

Ne prima miſerum ſinat juventa
Tam crudeliter interire. Cur ab
Cultorem patitur ſuum ſub ipſo
Flore ætatis abire moeſtum ad umbras
Pallentes erebi? Quid ergo prodeſt,
Ipſi & Aoniis ſuis puellis
Cuncta poſthabuiſſe? Quidve prodeſt
Vita puriter acta? nunc miſello,
Nunc o ſubvenias, Apollo ſancte,
Et preces teneri tui poetæ
Audi dexter. Opaca ſive Cynthi
Umbra, ſive Heliconii receſſus
Te tenent nemora aureo ſonantem
Plectro carmina, quæ beata lauri
Diſcit ſylva; ades, o Deûm voluptas,
Ades numine dextro, & imminentem
Orcum jam capiti meo repelle;
Ut Fraſtorius ob ſuum ſodalem
Salvum & incolumem tibi rependat
Mille carmina, te canens, tuamque
Matrem, & virgineos tuæ ſororis
Mores, & ſtudia, & pharetram, & arcum, &
Currum noctivagum aurea inter aſtra,
Quo ſe candida Diva fert olympi
Per campos, lavis ipſe cum rubente
Feſſas oceano tuas quadrigas.

(l) TORELLO SARAYNA, cive Veronenſi, & de patria ſua ſcriptis quamplurimis optime merito, ut familiarius uſum putem FRACASTORIUM, faciunt ea, quæ prolata ſunt a TORELLO *Lib. II. de Amplitud. civit. Veron. p. m. 19.* Illo enim in loco non ſolum *peritiſſimi Medici, ac præſtantiſſimi Philoſophi* laudes tribuit FRACASTORIO, ſed egregio quoque ac prægrandi olim paguro lapideo a ſe donatum, quæque de coch-

cochleis, in altiſſimis montibus reperiundis, in medium affert, ex ore FRACASTORII audita ſibi, ſecumque refert humaniſſime communicata. Amicitiæ hæc, aut, ſi mavis, benevolentiæ mutuæ ſigna certiſſima. Diverſam tamen cum ſtudiorum ſuorum rationem inierint; non tanta inter eos, quanta eſſe ſolet inter homines conjunctiſſimos, animorum fuiſſe videtur conſpiratio.

(m) CASPAREM CONTARENUM, virum in civitate Veneta primarium, & ad ſacram purpuram evectum, Philoſophum etiam ſui temporis acutiſſimum, jam inde a primis ſtudiorum ſuorum initiis, in Gymnaſio captis Patavino, intima FRACASTORIUS ſibi junxerat familiaritate, teſte *Autore Vitæ Frac. p. 2.* Communi uterque præceptore uſus eſt POMPONATIO; cujus tamen de immortalitate animæ doctrinis acriter offenſus CONTARENUS, ſcriptis oppugnavit eas publicis, etſi non aſpere aut contumelioſe, ſed ea ſcriptis humanitate & modeſtia, quæ honeſti virum animi & diſcipulum deceret præceptoris ſui amantiſſimum. Quam rem copioſius perſequi, noſtri jam non eſt inſtituti. Illo ex tempore majus in dies robur accepit FRACASTORII & CONTARENI amicitia, mutuisque abſentium epiſtolis mirum in modum fuit confirmata. Ex his enim *facile intelligi* docet ANDR. CHIOCCUS in *Colleg. Veron. Med. Sect. I. Cap. 11, quantum a* CONTARENO *æſtimaretur* FRACASTORIUS, *quantumve ab univerſa Republica, præclariſſima ingeniorum fautrice & judice.* Earum cum nihil, quod doleo, ad nos pervenerit; quid actum ſit inter illos, quibus uterque inter ſe officiis devincti, jam quidem jubemur ignorare. Solius tamen amoris cauſa, nec niſi in teſtimonium amicitiæ perennaturæ, ſcriptas has epiſtolas, idem teſtatur CHIOCCUS *l. c.*

(n) JOANNEM BAPTISTAM MONTANUM, Medicinæ Profeſſorem Patavinum clariſſimum, ſunt, qui FRACASTORII non ſolum non amicum, ſed æmulum etiam perhi-

bent acerrimum, in quibus haud poſtremus eſt *Autor Vitæ Frac. p. 4 & 5*, qui tamen mera id conjectura videtur aſſecutus, quod principatum in re medica audiiſſet a MONTANO affectatum. Leve hoc frigidumque argumentum. Infeliciſſimus ſane MONTANUS, ſi cum ſingulis, quos anteire voluit artis medicæ ſcientia, graves ſuſcepit inimicitias. Neque, a FRACASTORIO quicquam in MONTANUM odii conceptum, ex eo colligas, quod in explicandis febribus peſtilentioribus aliam, ac MONTANUS olim, rationem inierit, & ab eo paululum diſſenſerit *Lib. II. de Morb. Contag. Cap. 3.* Non enim ad obterendas MONTANI laudes, nec animo id factum infenſo & malevolo, ex verbis, quibus utitur illo in loco, perſpicue apparet. Vehementer hic omnem obtrectationis ſuſpicionem deprecatur, ſeque, poſtquam in manus ſuas inciderint forte, quæ MONTANUS ſcripſerat ad mentem GALENI, *ſuſpenſum admodum redditum* fatetur, *cum* ipſe *alia via forte fortuna incederet. Nam ſi inceptis noſtris*, pergit, *perſiſtere voluiſſem, non ſolum timor oboriebatur, quomodo mihi ipſe conſiderem devianti ab eorum calle, ſed & rem valde arrogantem videbar aggredi, quod & a primo Galeno, & a ſecundo diſſentire auderem: quocirca, cum quaſi decreviſſem retractare, quæcunque de ea materia ſcripſiſſem, rem tamen cum quibusdam amicis communicavi, qui ingenue conſulentes perſuaſerunt, quæ ego jam ſcripſiſſem, tametſi viderentur novo calle procedere, emittenda tamen eſſe, non per aſſertionem aliquam, ſed uti problemata magis.* Nulla certe eſſe honeſtior vel inter amicos conjunctiſſimos diſſentiendi poteſt ratio. Et quid dicemus tandem, ſi eodem in loco MONTANUM *civem* urbis Veronæ *primarium, & nunquam ſatis laudatum in re medica, & in quem Galeni anima migraſſe videatur*, prædicari videamus? ſi & *ſuum* ſæpius appellet, & doctrinam ejus mirifice extollat FRACASTORIUS? Dubitabimusne amplius, amicum MONTANO, etſi ad ſummam medicæ doctrinæ palmam aſpiranti,

FRA-

FRACASTORIUM fuiſſe? Neque eſt, cur ſimulatas quisquam laudationes illas, & longe aliter comparatum putet animo fuiſſe FRACASTORIUM; cum, ſi re vera venenum aliquod intra pectus aluit, illud eructaturus profecto fuerit MONTANO mortuo, quo tempore, tantum abeſt, ut in famam MONTANI hoſtile quicquam tentaverit ſuperſtes ipſe, ut næniis & lugubri cantu queſtibusque multis amici hujus funera ſit proſecutus. Exſtat enim *in mortem* JO. BAPTISTÆ Epigramma FRACASTORII:

Dum medica, Montane, doces ope vincere fata,
Et Lacheſi invita vivere poſſe diu,
Lethæo indignans preſſit te Parca ſopore,
Et ſecuit vitæ grandia fila tuæ.
Sic, animas & tu Aſclepî dum ſubtrahis orco,
Te quoque ſævorum perdidit ira Deûm.

Dignus ergo, cui inter amicos FRACASTORII locus detur haud ultimus, MONTANUS, vir in arte medica egregius.

(o) ANTONIUS MARIUS VISDOMINUS, gente Ligur, qui *de Otio & Sibyllis* librum, cum variis Elegis, edidit Bononiæ anno 1500, & cujus quædam leguntur carmina in *Carmin. Illuſt. Poet. Ital. T. VI. a p. 244. ad 251*, ſimplici quidem, at molli nec ineleganti Muſa condita, quemque LIL. GREG. GYRALDUS in *Dial. I. de Poet. ſuor. temp. p. m. 546* in manibus habuiſſe refert *Commentarium in Senecam Tragicum multa fruge refertum*, FRACASTORIUM tam valetudinis ſuæ, qua utebatur perditiſſima, cuſtodem, quam amicum habuit. Utrumque manifeſto ſatis conſtare nobis poteſt ex venuſto carmine, quod inter corporis dolores multos ſcriptum miſerat ad FRACASTORIUM, *ipſa anima cariorem ſibi*, ANTONIUS, per Deos omnes obteſtatus illum, ut, quam poſſet ocyſſime, ægrotanti ſibi fortioribus ſuccurreret remediis, & violentum nimis nimisque in dies ingraveſcentem morbum depelleret. Ex quo illud etiam cognoſcimus, in

quanta FRACASTORIUS artis ſuæ opinione fuerit, quantumque in eo fiduciæ vulgo poſitum ſit ab ægrotantibus. Rem Lectoribus facturum me prævideo gratiſſimam, ſi carmen Poetæ integrum, utpote lepore multo ornatum, & in FRACASTORII maxime occupatum laudibus, ex *Carmin. Illuſt. Poet. Ital. T. VI. p.* 244 huc transtulero. En, quæ canit ille:

Fraſtori venerande, anima mihi carior ipſa,
Ut valeas, quidnam juncto pede, quidve ſoluto
Scribas, ſcire velim, dum te Marpeſia celſo
Colle tenet, placidi ſectantem commoda ruris.
An medicas herbas, Phœbo monſtrante, per agros
Colligis, ut caros cives a funere ſerves?
An Dryadum miſtus choreis, Faunisque jocoſis,
Agreſti ludis calamo, quæ Tityrus olim
Cantet, & umbroſo miretur Nais ab antro?
An potius volucri raptus ſuper æthera mente,
Colloquio frueris Turrî, ſecumque vagaris,
Ignotasque vias ſtellarum, orbesque tueris
Ignotos, veterumque palam commenta refutas?
Felix, quem populi de tempeſtatibus atris
Ereptum, claro ſiſtit ſapientia cælo.
At nos indoctæ ſequimur veſtigia turbæ,
Parvaque miramur, quia nunquam cernere magna
Contigit; hinc vana deludit imagine mentem
Aut ſpes, aut metus: invadit nunc falſa voluptas,
Nunc falſus dolor; inprimis me torva feroci
Pauperies vultu terret, ceu triſtis Erinnys,
Cum pavidum flammis ultricibus urget Oreſtem.
Sæpe loquor mecum, tacitusque hæc corde voluto:
Incipe ſorte tua contentus vivere, teque
Liber & impavidus fortunæ oppone ſuperbæ.
Nemo pauperie miſer eſt, aurove beatus.
Oppreſſum morbo Chromilum de paupere lecto,

Trans-

Transfer in auratos thalamos, & ſtragula picta;
Non tamen ægroto decedet corpore febris;
Impatiens, æſtuque amens vigilabit; at idem,
Cum validus ſylvis apros venatur, in alta
Hybernas noctes nive dormit ſuaviter; ægrum
Sic animum nec divitiæ ſanare valebunt,
Nec mentem ſanam vel magna offendere egeſtas.
Quare age, ſi carus Superis, ſi carus amicis
Eſſe velis, animum ſemper cole: cetera mitte.
Cuncta poteſt ſpreviſſe aliquis, nemo omnia habere.
Ille opibus vincet Crœſos, illi fluet Hermus,
Cui licuit contemnere opes; ſunt denique certæ
Divitiæ, Virtus, Sapientia: quas neque bellum,
Nec mors ſuprema potis eſt rapuiſſe favilla.
Hæc mecum. Sed cuncta fluunt animo, ſimul atque
Tabentes artus, & commoda multa volentem
Aſpicio miſeram juvenili in flore ſenectam.
Crudeles Parcæ, dulcis nec dona juventæ
Carpere, nec lentos ſinitis finire dolores.
Non mea vos pietas, tremuli non vota parentis,
Non lachrymæ veſtras potuerunt flectere mentes.
At tu, quem Phœbus lethales pellere morbos
Edocuit, citharaque amnes cantuque morari,
Huc ades, o Fraſtori, averſaque Numina flecte
Carminibus, tabemque meo de corpore pelle.

(p) ALOYSIUM MUNDELLAM, Medicum Brixianum, editis *Epiſtolis Medicinalibus, ad Galeni explicationem*, notiſſimum, ut in amicitiam FRACASTORII receptum putem, ipſe me movet FRACASTORIUS, qui *Lib. III. de Contag. Morb.* mentionem facit commercii literarum, quod habuit tunc temporis cum ALOYSIO, memoratque nonnulla, de febrium remediis ab ALOYSIO ad ſe perſcripta. Amoris enim optimi interpretes ſunt literæ, & laudabilis maxime eorum inter eruditos eſt ami-

amicitia, qui ad conſervandum amplificandumque literarum decus abſentes etiam tenerrime conſpirant. MUNDELLAM FRACASTORIUS eodem in loco *virum doctum* vocat *& diligentem.*

(q) JO. FRANCISCUS OTTOBONUS, Cancellarius Venetus, Juris pariter atque linguarum, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ, peritiſſimus, vir doctrina magis, quam ſcriptis illuſtris, annumerandus omnino eſt amicis FRACASTORII, ſi fides habenda eſt, qui diligentiſſime OTTOBONI vitam expoſuit, JAC. PHIL. TOMASSINO in *Elogiis p. 286.* Egerunt etiam, ut idem refert ſcriptor *l. c.* ſæpius inter ſe per literas, non de rebus parvi aut nullius momenti, ſed de linguarum maxime dignitate, harumque promovendis incrementis. Quæ ipſæ *diligenter adhuc apud poſteros in ſcriniis* dicuntur *aſſervari.* Neque ulla eſt ea in re dubitatio. Quidni enim, cum digniſſimus uterque ſuo tempore habitus ſit maximorum virorum amicitia, atque tanta inter eos patriæ, ætatis, ſtudiorumque fuerit ſimilitudo, uſu etiam, conſuetudine animisque inter ſe conjunctos exiſtimemus?

(r) Fuit ſplendidiſſima Veronæ multisque in literas meritis nobiliſſima gens TURRIANORUM, HIERONYMO inprimis patre, filiisque MARCO ANTONIO, JOANNE BAPTISTA, & RHAIMUNDO, inſigniter nobilitata. Patrem FRACASTORIUS præceptorem olim, filios per omnem vitam amicos habuit ſibi conjunctiſſimos. Cum his enim *rariorem quandam atque intimam familiaritatem interceſſiſſe* ei, ex verbis ejus diſcimus in *Præf. Dial. de Poet.* De ſingulis pauca dixiſſe me ſupra, recordor. Non enim hujus eſt loci, quicquid de illa ſtudiorum communitate, quæ inter TURRIANOS fratres & FRACASTORIUM, adoleſcentes ſingulos, in Patavino fuit Gymnaſio, commemoratum eſt in principio hujus Commentationis, dicendo repetere. Cum adultioribus jam nobis res eſt. Non interrupta unquam, ſed, quoad viverent, hæc inter eos continuata familiaritas. Et cum MAR-

CO

CO ANTONIO quidem, fratrum natu majore, & paternam feliciſſime æmulante gloriam, ita ut

- perſæpe animas poſitas jam ſedibus orci
Ad ſua Apollinea membra vocaret ope,

(vid. carmen FRACASTORII *ad Jo. Bapt. Turrianum in obitum M. Ant. Turriani,*) quæ ipſi interceſſit neceſſitudo, etſi non diuturna, ob præmaturam ANTONII mortem, arctiſſima tamen atque talis omnino fuit, qualis eſſe plerumque eorum ſolet, qui ætate inter ſe, moribus ſtudiiſque ſunt ſimillimi. Ejus mentionem facit FRACASTORIUS *ſub init. Dial. de Poet.* ſed tanquam dudum exſtinctæ, & cujus ipſa fere memoria vetuſtate ſit obliterata. *Quæ mihi cum M. Antonio Turrio*, ait, *Jo. Baptiſtæ & Rhaimundi fratre, fuit, uti vetuſtior, ita quodammodo inſenuiſſe videtur amicitia.* Mortem amici hujus, tantopere ſibi dilecti, Noſter tulit impatientiſſime, piiſque proſecutus eſt ſuſpiriis. Teſtis eſt lamentabile Epicedium, in funere ANTONII compoſitum, & fratri JOANNI BAPTISTÆ inſcriptum, quo etſi hoc agat potiſſimum, ut vulnera BAPTISTÆ conſolatione leniat, egere tamen ipſe quam maxime videtur ſolatiis, ſuumque ægre admodum dolorem diſſimulat. En tibi, quæ ſine lachrymis vix ſcripta putes:

Jam neque finierant gemitus, & lumina ſiccis
Non bene ceſſarant triſtia flere genis,
Cum tu, Marce, cadis, cum nos tot triſtibus actos
Deſeris, heu falſos credulitate tui.
Non hoc vivida nos tua jam ſperare juventa,
Hoc tua non virtus, non benefacta dabant,
Exanimem ut nos te juvenem, nec jam ulla loquentem
Externa miſeri contegeremus humo:
Sed fore, quem fama virtus æquaret olympo,
Unus qui multos inſtrueret populos, &c.

Habent &, quæ ſequuntur, querelarum multum, multum-

que affectus tenerrimi, nec eorum quicquam omiſſum, quæ ad laudes ANTONII ſpectare ullo modo viderentur.

(s) JO. BAPTISTA, alter fratrum TURRIORUM, maximam ſine dubio doctrinæ & ſcriptorum apud poſteros conſecutus laudem eſſet, niſi, fatis ita ferentibus, primo juventutis flore, patriæ eſſet, cognatis, atque literis ereptus; ſimilis in eo fratri ANTONIO, neſcio an & RHAIMUNDO forte. Nam, ſi fides habenda amico FRACASTORIO in *Præfat. Homocentr.* fuit TURRIUS iſte *juvenis maximi ac pene divini ingenii, ætate, ingenio, ſtudiis, virtute, diſciplinaque fere omni florentiſſimus & admirandus, ſecretioris* etiam *cujusdam Philoſophiæ cultor.* Nec a poeticis deliciis abhorruit; quandoquidem ipſe carmina compoſuiſſe dicitur FRACASTORIO in carmine *ad Jo. Matthæum Gibertum*, & in alio *ad Franc. Turrianum.* In cognitione ſiderum multum, ſi vixiſſet, præſtitiſſet, diligentiſſimus in hoc ſtudiorum genere ſubtiliſſimusque. Invenerat jam tum duos in ſphæris motus, novos plane & incognitos antehac, quorum opera diſtincte & explanate ea omnia, quæ circa ſtellas apparent, absque ullis eccentricis demonſtraturum ſe ſperabat. Eam vero in rem cum omni cogitatione curaque incumberet, in graviſſimum repente morbum incidit, vitamque cum morte commutavit. Ne tamen fruſtra eſſet, quicquid in re tam nobili ſtudii & laboris poſuerat, moriens BAPTISTA amicum rogavit FRACASTORIUM, ſupremum illud manibus ſuis officium exſolveret, ut, quæ ipſe agitaverat olim, ſua perficeret induſtria, & nomen Turrianum ſcriptis ſuis immortalitati conſecraret. Quod cum negare humanitatis genus amico roganti nec poſſet pro veteri amicitia, nec vellet pro ſuo erga has literas amore; dextra data, fidem ſuam obſtrinxit, editoque poſt mortem TURRII præclaro *de Homocentricis* Opere, promiſſis egregie ſatisfecit. Conf. *Frac. Præf. ad Homoc.* At quanta inter viventes fuerit animorum conjunctio, varia FRACASTORII, amico

BAPTI-

BAPTISTÆ inſcripta, & *Opp. Frac.* adjecta, docent carmina, in quibus TURRIANO nunquam non, amoris puto cauſa, *Batti* nomine blanditur. In montes Caphios divertenti FRACASTORIO comitem ſæpius iviſſe TURRIANUM, & ANDR. CHIOCCUS in *Coll. Ver. Med. Sect. I. Cap. 11*, & illa FRACASTORII teſtantur in carmine *ad Franc. Turrianum:*

- - - hæc limina magnus
Naugerus ſubiit, nec dedignatus adire eſt
Battus, amor Muſarum, ipſum quo tempore primus
Pana, atque antiquos cecinit telluris amores.

Longe vero certius de horum conſtare familiaritate poteſt ex tribus FRACASTORII *de Poetica, Intellectione*, atque *Anima*, Dialogis, quorum pars maxima TURRIANUS eſt. Fuit enim ex eorum numero, qui de rebus maximi momenti & ad omne genus doctrinæ ſpectantibus frequentes in Baldi ſeceſſibus cum FRACASTORIO ſermones contulerunt; cumque de Poetica NAUGERIUS, FRACASTORIUS de Anima ſententiam ſuam doctiſſima oratione exponeret, de Intellectione diſſerendi provinciam TURRIANUS ſuſcepit. Conſervata hæc nobis ſunt integro Dialogo, cui honoris cauſa *Turriani* nomen inſcriptum eſt a FRACASTORIO, quem laudibus idcirco celebrat *Autor Vitæ Frac. p. 6.*

(t) Fratrum TURRIORUM, ſi recte ſuſpicor, natu minimus fuit RHAIMUNDUS, de cujus fatis nihil compertum habeo, niſi quod maturiori ætate Epiſcopus factus ſit Comenſis & Aquilejenſis. Docemur hoc ex *Indice Carminum Flaminii edit. Patav. 1727. ſub voc. Turrian.* Neque literarum expertem puto. Multa enim in Dialogo FRACASTORII *de Anima* continentur, ſcite & ſubtiliter a RHAIMUNDO diſputata. Quin, ei *in his* (de anima) *inquiſitionibus vim non parvam eſſe, & ingenium quaſi dæmonicum*, in *Præf.* illius *Dial.* affirmat FRACASTORIUS. Amicitiæ eodem, quo BAPTISTA frater, vinculo conjunctus fuit FRACASTORIO, & in ſeceſſu Baldi Caphiis-

que montibus conſuetudine ejus & colloquio uſus eſt fere quotidiano. Utrumque diſcimus ex FRACASTORII *Præf. Dial. de Poet.*

(u) *Ad Franciſcum Turrianum*, *Veronenſem*, carmen FRACASTORII legitur in libro *Poem.* ejus, ex quo perſpicue cognoſcimus, in dilectiſſimis habitum FRACASTORIO hunc TURRIANUM fuiſſe. Amiciſſimis enim tenerrimisque verbis invitavit eum, Caphiorum montium aliquando deliciis frueretur, & amicum ſolitarium dulci recrearet alloquio. Idque tam amanter facit, tam cupide, tamque molliter, ut nihil poſſit eſſe ſupra. Multum inprimis amoris illa habent:

Turri, ſi aut mihi villa & lar ſit lætior, aut tu
Ferre domum tenuem poſſis, parvosque penates
Urbe procul ruri ſeſe abſcondentis amici,
Quantum ego te his mecum Caphiis in montibus optem,
Montibus his, ubi &c.

& quæ deinde ſequuntur:

Hæc ergo præferre urbi, & contemnere magna
Si poſſis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos
Accurras? &c.

Quis fuerit TURRIANUS iſte, quo ortus genere, quibus meritis conſpicuus, hæſitavi diu. Nihil enim ea de re conſtare nobis poteſt ex illo, cujus paulo ante mentionem feci, carmine FRACASTORII. Neque ſcriptoribus aliis, quotquot evolvere mihi licuit, quicquam de TURRIANO iſto proditum memoriæ. Nam, quæ de FRANCISCO TURRIANO, gente Hiſpano, immortalis famæ Theologo, commemorantur paſſim, nihil prorſus ad noſtrum. Peropportune tandem incidi in M. ANT. FLAMINII, quæ junctim edita ſunt, *Carmina*, quorum cum eſſent nonnulla TURRIANO iſti inſcripta, cognovi ex illis tantum, quantum ſcire omnino ſatis eſt. Patruum habuit RHAIMUNDUM; unde, patrem ei M. ANTONIUM, aut, quod dubitanter magis affirmarem, RHAI-

MUN-

MUNDUM fuiſſe, colligo. Solum natale idem ei contigit, quod FRACASTORIO. Patricii Veronenſis dignitatem, neſcio an a parentibus acquiſitam, an ſua partam virtute, tenuit. Vir fuit præclare doctus, amantiſſimus CICERONIS & TERENTII, exquiſitis morum ornamentis conſpicuus, hocque nomine bonis omnibus apprime dilectus.

(x) Amicorum, quotquot habuit FRACASTORIUS, illuſtriſſimus ſine dubio PETRUS BEMBUS fuit, vir ſummus, & Ciceronianæ eloquentiæ imitator ſolertiſſimus. Ejus in literas elegantiores præclara merita tam cognita vulgo ſunt, ut omni illorum ſuperſedere commemoratione poſſim. FRACASTORIUS certe non niſi BEMBI invitatus doctrina & exiſtimatione, hunc amicum videtur ſociumque ſibi adjunxiſſe. Et quo major viri literatiſſimi fama dignitasque, tanto arctior hæc conſtantiorque fuit amicitia. Mutuum uterque amorem confirmarunt literis frequentiſſimis, quarum mentionem facit ANDR. CHIOCCUS *l. c.* Et BEMBI quidem binæ ad FRACASTORIUM epiſtolæ, ſermone ſcriptæ vernaculo, *Carminibus Fracaſt. Patavii 1718* editis, præmiſſæ ſunt a JO. ANT. VULPIO. BEMBO autore & conciliatore factum refert *Autor Diar. Eſſais de Liter. Nov. 1702. p. 289*, ut doctiſſimi FRACASTORII libelli *de Homocentricis & de Cauſis criticorum dierum per ea, quæ in nobis ſunt*, Venetiis anno 1538 typis exprimerentur. Quam erga ſe benevolentiam ut æquali officiorum genere remuneraretur, Pariſiis, ut idem teſtatur ſcriptor, FRACASTORIUS, cum Reginæ cauſa illic degeret, ſuaſu & autoritate ſua impetravit a Vaſcoſano, librorum venditore, ut prelo iterum ſubjiceret & in forma, quam vocant quartam, ederet BEMBI *Hiſtoriam Venetam*, quæ paulo ante, anno nempe 1551, Venetiis ſumtu filiorum ALDI MANUTII fuerat publicata. Summum etiam venerationis, qua BEMBUM proſecutus eſt FRACASTORIUS, documentum illud eſt, quod carmen *de Morbo Gallico* terſum, elegans, & ingenio illo dignis-

gniſſimum, BEMBO ſacrum eſſe juſſit, & in ejus quaſi fidem clientelamque dedit. Ipſum carmini nomen BEMBI inſcriptum eſt, multaque hic paſſim de admirabili illo Reipublicæ Venetæ ornamento ſplendide dicta ſunt ac honorifice. Quo ipſo rem laudabilem feciſſe FRACASTORIUS dicitur HIERON. GHILINO in *Teatr. d' huom. letter. ſub Frac.* Mira ac ſingularia de quodam BEMBI ſomnio in medium affert Noſter *Lib. II. Dial. de Intellect.* ubi & *Vir probus* ei, & *utriusque linguæ eruditiſſimus*, appellatur.

(y) Neminem ætate illa urbs Verona habuit, qui cum rerum publicarum curis ingenuarum artium amorem tam dextre feliciterque conjungeret, ac GIBERTUS ille, urbis Epiſcopus, ſplendor patriæ, ſpes & præclarum decus civium. Vitam viri maximi, honores, laudesque præcipuas, in nuce velut exhibet Epitaphium GIBERTO poſitum a M. ANT. FLAMINIO *Lib. I. Carm. ipſius Epigr. 25:*

Giberti venerator hic ſepulchrum,
Quem Ligur genuit Panormi in urbe,
Roma nutriit, & diu regendi
Orbis participem beata vidit;
Dein Verona recepit, & magiſtrum
Sinceræ pietatis, & parentem
Mirata eſt. Nihil ille, quod beatam
Poſſet reddere civitatem, emiſit,
Nunc cælo fruitur beatus ipſe.

Is cum eruditorum omnium commune præſidium ſolatiumque eſſet certiſſimum; non mirandum adeo, ſpem ſuam omnem repoſitam in eo habuiſſe FRACASTORIUM. Beneficiis ab eo cumulatum ornatumque ſe quamplurimis fatetur ipſe in *Præfat. Homocentr.* &, *per ejus liberalitatem factum,* dicit, *ut quaſi manumiſſus in libertatem, & otio frui poſſet, & omni pene ea commoditate, quæ ad ſtudia literarum expetitur.* Quæ verba, etſi non ſatis intelligo, quo ſpectent potiſſimum; illud tamen facile

facile videntur indicare, fortunæ ſuæ partem maximam FRACASTORIUM Mæcenati tam munifico tuliſſe acceptam. Suaſu ejus & conſilio ad conſcribendum *de Homocentricis* Opus invitatum ſe, teſtatur ibidem. In tantam GIBERTI gratiam carminum inprimis ſuavitate inſinuaſſe ſe videtur HIERONYMUS. Ita enim Noſter in carmine *ad Franc. Turrianum:*

Scilicet hic (GIBERTUS) *numeros non aſpernatur, & audit*
Nos etiam, & noſtram, quamvis ſit ruſtica, Muſam.
Verum, ubi ſe ſibi reſtituit, mentemque recepit
Illam alto intentam cælo, ſeu ſacra ſacerdos
Munera obit, totum ſeu contemplatur olympum,
Tum ſupra & Muſas, & ruris Numina ſupra eſt,
Vitam agitans Divûm, Dîs ſe cæleſtibus æquans.

Unde & in decantandis GIBERTI laudibus Muſa ejus fuit occupatiſſima. Eorum, quæ GIBERTO inſcripta ſunt, carminum non pauca leguntur in libro *Carminum Frac.* In ſingulis hoc agit, ut res ſuas omnes GIBERTO ſacras eſſe jubeat. Venuſtius reliquis illud eſt, quod primo ſtatim loco habetur, quo piſcium & pomorum aureorum, ut fingit, munuſculum transmittit Epiſcopo. Decerpam inde, quæ maxime huc videntur pertinere. Qualia ſunt:

Ille tuus, Giberte, ſacras qui in montibus aras
Melſineis tibi conſtituit, qui teque tuumque
Per nemus omne canit perque omnia littora nomen,
Hæc enata ſuis mittit tibi poma ſub hortis
Aurea, quæ quondam Medorum e finibus Atlas
Transtulit, & magno ſervabat tuta dracone, &c.
Inſuper hos Giberte tibi dat munera piſces, &c.

Nec minus eleganter & honorifice de GIBERTO, *Campenſe magiſtro*, canit in carmine *ad M. Ant. Flaminium*, etſi breviter ſaltem, & quaſi in tranſitu.

(z) Literarum ſtudiis amœnioribus quantopere delectatus, quantoque viros doctos & in literis impigre verſantes complexus

plexus amore ſit ALEXANDER, e gente oriundus Farneſia, Pauli III Pontificis ex filio Petro Aloyſio nepos, juvenis admodum ad Purpuratorum ordinem evectus, tum aliunde conſtat, tum ex iis inprimis, quæ de eo memorat FRACASTORIUS in *Dedicat. libri de Symp. & Antipath.* ALEXANDRO inſcripta. *Ea in re*, inquit, *illud magnopere admirandum eſt, quod moles ea* (negotiorum) *cum tam gravis, tam varia ſit, tu tamen literarum haud immemor, non minori cura atque opera ſtudes, ut & hac quoque in parte nec tibi, nec aliis deſis. Nam cum magna quadam atque excellenti natura æque & ad actiones, & ad ſtudia literarum ſis natus, facis profecto, ut & de te multa aliquando ſperanda ſint, & ut interea, quod tu per ætatem, ac maxima neceſſariaque negotia præſtare non potes, alii certe præſtent, quos tu ita benevolentia, ita omni ſtudio amplexaris; ita liberalitate, patrocinio, ac favore omni foves, atque excitas, ut non minus tibi debeant literarum ſtudia, quam chriſtiana libertas.* Et ſi Dedicationem hanc legas integram, jungasque ei bina FRACASTORII carmina, ALEXANDRO inſcripta, quorum alterum ad calcem *Libri III. de Morb. Contag.* alterum in *Libro Carminum ejus* legitur; in eam facile adductum te iri ſententiam prævideo, neque virtute & ingenio excellentiorem, rebusque publicis adminiſtrandis aptiorem, neque doctrinæ & Muſarum amantiorem fuiſſe quemquam. Tantam enim in binis hiſce carminibus ingenio quaſi vim intuliſſe videtur, tamque diligenter & ornate, quicquid laude dignum aut plenum ſpei fuit in ALEXANDRO, prædicat, ut ornatius diligentiusque vix potuerit, & exquiſita ingenii facundiæque ſuæ dederit documenta. Quæ verbis autem hic præſtitit, re ipſa exſolvit, dedicando Mœcenati tanto ſuos *de Sympathia & Antipathia rerum*, & *de Morbis contagioſis*, libellos, nec non *Joſephum* ſuum, quem ejus compoſitum juſſu, non obſcure prodit his, quæ in principio carminis canit:

Nec minus, Italiæ, juvenis, decus, (omnia quando,

Quæ

Quæ canimus, tua, Farneſi, ſunt maxima juſſa,)
Ipſe ades, & plenum ſcopulis dum currimus æquor,
Da faciles in vela auras, da numine dextro
(Namque Deus mihi ſemper eris) tua grandia vota
Poſſe ſequi, pelagique omnes ſuperare labores.

Alia etiam FARNESIO, gratiæ ejus aucupandæ aut conſervandæ cauſa, munuſcula interdum obtulit. Sic in Carmine *ad Farneſium*, quod in *Libro Carm. ejus* legitur, filii nomine binos ALEXANDRO canes gemellos mittit, venatibus aptos &

- - famam nemorum, geminumque ferarum
Terrorem.

Ex quo ſatis nos, quam addictus rebus FARNESII fuerit FRACASTORIUS, intelligimus. Obſervantiæ hæc venerationisque tam publica quam privata exſtare monumenta voluit. Debebat illa pietati, qua proſequendus erat is, cui res fortunasque ſuas omnes eſſe noverat commendatiſſimas. Neque enim plus ſtudii in colendo FARNESIO FRACASTORIUS, quam humanitatis in præſtandis FRACASTORIO beneficiis FARNESIUS adhibuit. *Fracaſtorii Mæcenatem* hunc *liberaliſſimum* dicit *Autor Vitæ Frac. p.* 7, & ipſe FRACASTORIUS ſingularem ejus erga ſe benevolentiam multis in locis pio gratoque animo agnoſcit atque prædicat. Quod ſicut nunquam non ſubmiſſe ac reverenter, ita perſpicue inprimis ac copioſe facit in *Præf. libri de Symp. & Antip.* hiſce quidem verbis: Huic *rei & ipſe teſtimonio eſſe poſſum, quem tu, cum nec unquam vidiſſes, nihil a te poſcentem, beneficiis tamen non paucis ea una de cauſa ſis proſecutus, ac proſequaris in dies: cui ego beneficentiæ & virtuti ita me addictum, ita devinctum ſenſi, ut jam diu nihil animo æque fixum habuerim, quam ut tibi tuæque iſti, qua teneris, pietati aliquid parerem, quod tuum tuique cauſa confectum dici poſſet; hoc enim unum dabatur mihi, quo, quam gratus eſſet animus erga te meus, poſſem oſtendere.*

(aa) De CHRISTOPHORO MADRUTIO, Purpurato Pontificis, in Tridentino Concilio inter primi ordinis viros collocato, quæ dici poſſunt, ſupra dixi §. *IV. not. (e)* Is non ſolum valetudinem ſuam curæ FRACASTORII commendavit, hujusque ſemper uſus eſt conſilio, ſed vehementer etiam dilexit eum, & jucunda ejus conſuetudine delectatus eſt mirifice. Non id confirmare nobis licet FRACASTORII ipſius teſtimonio, quippe quem miror in ſcriptis ſuis ne verbo quidem MADRUTII hujus injeciſſe mentionem. At non minoris pretii nobis teſtes ſuppetunt, JO. IMPERIALIS, qui *arctis amoris & humanitatis vinculis Madrutio conjunctum* dicit FRACASTORIUM in *Muſ. Hiſt. p. 17*, &, cujus libenter utor teſtimonio, *Autor Vitæ Frac. p. 6.*

(bb) Venerationis, qua PAULUM III, avum ALEXANDRI, de quo dixi modo, recens creatum Pontificem, proſecutus eſt HIERONYMUS, inſigne documentum præbent *Homocentrica* ejus, ſuaſu GIBERTI, Epiſcopi Veronenſis, novo Pontifici dedicata. Horum, ſi placet, *Præfationem* lege, PAULO huic inſcriptam; fateberis profecto, ſi veritatem amas, nihil legiſſe te unquam, quod cum maxima dictionis verborumque gravitate tantam adulandi libidinem conjunctam habeat. Non cælo, non aſtris parcit inverecundus aſſentator; dummodo quamcunque blandiendi inde capiat materiam. Qua putas cauſa inductum FRACASTORIUM, ut, cum alios poſſet libellos, *Homocentrica* inprimis dedicaret Pontifici? Oedipo hic opus eſſe conjectore dices. Sed facile rem omnem intelliges, modo memineris, ſedem Homocentricorum in cælo eſſe, ubi longe lateque dominatur imperatque Pontifex. Quam egregie & apte inter ſe conveniunt pulchra hæc & homine illis ſacris initiato digniſſima: *Ego tantum hoc auſpicium capiens, & deſiderio noſtri Epiſcopi morem gerendum duxi, & plane cognovi, nulli convenientius, quam tibi, deberi ſtellarum orbiumque contemplationes, in quibus poteſtatem tantam*

tam unus ex mortalibus cunctis habeas. Æquiſſimum præterea eſt, ut & tu novis plerisque orbibus, qui nunc primi cogniti ſunt, gratuleris, & illi tibi; quos fata tuum in Pontificatum quodammodo reſervavere, ut, patente jam & terra omni, nihil in inferiori hoc mundo ſit, nihil in ſuperiori, quod tibi non ſeſe aperiat ac gratuletur. Belle admodum, & ad ſervum Italorum ingenium perquam accommodate. Neque dubito, quin promeritam ingenioſæ aſſentationis mercedem tulerit. Nihil tamen de illa FRACASTORIUS. Forte ſiderum illorum, quorum ipſe expers fuit, regendam ei dedit partem aliquam.

(cc) Ad JULIUM III, novum Pontificem, Farneſiorum partibus addictum, *ſoluti ad omnem licentiam animi hominem*, ut dicitur JAC. AUG. THUANO *Hiſtor. Lib. VI. ad ann. 1550*, Ecloga FRACASTORII legitur in *Libro Carm. ejus*, qua nihil ſcriptum unquam aut ſcribi potuiſſe mollius venuſtiusque puto. Adeo Virgilianum ubique ſervat nitorem, adeo plena gratiæ & leporis, adeo omni ex parte ad boni carminis leges eſt compoſita. Sed multum profecto falleretur is, qui ad vivum expreſſam JULII imaginem hic quæreret. Non, qualis fuit re ipſa, ſed qualis debuit eſſe, & qualem fore olim ſperabat Poeta, ſiſtitur hic nobis Pontifex. Feliciſſimus JULIUS, ſi præter carmen FRACASTORII nulla ad poſteros, unde de moribus ejus rebusque geſtis conſtare poſſet, monumenta veniſſent. Jam, cum veriora nobis aliunde innotuerint, ingenium poetæ miramur artemque aucupandi gratiam hominis in ſumma dignitate conſtituti, & laudandi eum, qui nihil, quod non reprehenſionem potius, quam laudem mereretur, commiſit unquam. Non erat illius loci, ſuas Pontifici maculas exprobrare, neque profecto ejus rei magnam a ſuperſtitioſa plebe gratiam iniiſſet. Quibus muneribus FRACASTORII erga ſe pietatem compenſaverit Pontifex, meum non eſt hariolari. Quanta quanta ejus fuerit liberalitas, non illa diu

 frui

frui contigit FRACASTORIO, quippe paucos annos poſt, ut temporum docet computatio, e vita egreſſo.

(dd) Res inaudita plane, atque Italo noſtro glorioſiſſima. Si nulla ad nos unquam excellentis doctrinæ, qua inter ſuos inclaruit FRACASTORIUS, fama perveniſſet, vel ſolum Imperatoris, benigniſſime aſpectantis eum, ſuffragium ad nominis immortalitatem ei ſufficeret. Fabulam crederem, aut in honorem FRACASTORII excogitatam narratiunculam, niſi ſcriptores ad unum omnes, eosdemque probatiſſimæ fidei, ea in re conſentire intelligerem, ut nihil fere de FRACASTORIO proditum ſit memoriæ, quod tantis ſcriptorum confirmatum ſciam teſtimoniis. Rem eandem diligenter & prolixe referunt JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 17*, ISAAC. BULLARTUS in *Acad. des Scienc. T. II*, FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* & *Autor Vitæ Frac. p. 7*, ne in minimis quidem diſſentientes inter ſe, niſi quod brevior alter in narrando, alter ſit verboſior. Accurata præ ceteris & copioſa *Autoris Vitæ Frac.* verba ſunt, quæ ubi legeris, facile carere reliquis omnibus poteris. *Sed quod ad Fracaſtorii*, ait, *gloriam vel maxime pertinet, tanta vir eximius, nullius faſtus appetens, & humilia hæc atque terrena ſemper deſpiciens, non apud ſuos Veronenſes, aut reliquas tantum Italiæ civitates, ſed in omni etiam Europa autoritate fuit, ut ex innumerabili diverſarum gentium & illuſtrium Procerum multitudine, quæ Piſcheriam ad Carolum V Cæſarem, ex Germania Mediolanum & Genuam proficiſcentem, atque inde in Algerium expeditionem parantem, viſendum convenerat, ipſe quoque, qui forte ſolennis pompæ die e proximis Caphiis cum jucundioribus amicis ſpectatum deſcenderat, ſolus, demonſtrante illum palam Madrutio principe Tridentino, greſſum Cæſaris æſtivo in ſole ac pulvere huc illuc proſpectantis, tenuerit.* Addit POLA, *intuitu Fracaſtorii captum, aliquantisper ſubſtitiſſe Carolum, & perhumano capitis motu annuiſſe, virumque doctrinæ fama præclarum contemplatum.* Contigit hæc non ſperanti, nec, ut puto, expe-

expetenti FRACASTORIO felicitas, quam, ſi obtineri poſſet, tam cupide conſectarentur eruditorum plurimi, ut annos integros deliteſcerent in viis publicis, oſcitantes, & expectantes Cæſarem.

(ee) Unus eſt, a quo hæc comperta habeo, ſcriptor FRANC. POLA; cujus tamen autoritatem magni facio præ multis aliis, præſertim cum ita rem iſtam referat, ac ſi omnium ore dudum conclamata, nec ulli expoſita ſit dubitationi. Eo magis e re fore Lectorum arbitror, ſi, quæ diximus de Margaritæ erga FRACASTORIUM voluntate, ipſis ſcriptoris hujus verbis dederim confirmata. Ita vero ſe habent illa in *Elog. Frac. l. c: In confeſſo jugiter apud optimos viros eſt, Margaritam Valeſiam, Galliarum Regis ſororem, eandemque peregrinam liberalium artium altricem, percelebri hujusce hominis laude commotam, peculiarique ejus divino carmine celebratam, muneribus pretioſioribus adhibitis, corollaque præſertim ex ſolido auro artificioſe contexta, quaſi abſens abſentem, quaſi poetarum principem coronare inpræſentiarum profitebatur, mox præſentem ſolenni pompa publice coronaturum pollicebatur, ad Galliam illuſtrandam ſolicitaſſe; ſed fruſtra, pro eo tantum ſcilicet, quod homo conſideratus & prudens, cum ſeſe infacundum ac pene elinguem a natura creatum cognoſceret, ingentem nominis ſui exiſtimationem, a ſolida doctrinarum peritia admirabilique ſcribendi ratione conflatam, apud Gallos, volubili ingenii velocitate & facili dicendi copia prævalidos, bene ſe tueri poſſe diffidebat.* Fuit hæc Margarita ſine dubio ſoror Franciſci I, Carolo primum, Duci Alenconienſi, poſt Henrico II, Regi Navarræ, nupta, quam circa illa tempora vixiſſe conſtat. Habemus etiam *ad Margaritam* iſtam, *Navarræ Reginam*, Carmen FRACASTORII, etſi non ſuo, ſed *Cæſaris Fregoſii*, in Italia tunc commorantis, nomine compoſitum, omni ſane laude digniſſimum. Forte Margarita, cognito tam excellentis carminis autore, quem non celaſſe videtur Fregoſius, leviter in literis verſatus, primum amare coepit hominem Ita-

lum, tam præclare de ſe meritum, abſentem quamvis, & longo locorum intervallo a ſe disjunctum. Illud enim ex verbis POLÆ non obſcure licet colligere; niſi credere malis, aliis, quæ non transmiſſa ſint ad poſteros, Margaritam a FRACASTORIO carminibus donatam. Forte & illi ipſi carmini præmii loco data eſt corolla aurea, inſigne Poetarum, doctarum frontium decus nobiliſſimum & prorſus inæſtimabile. Videtur tamen ipſa etiam JO. FERNELII, quo uſus eſt amico FRACASTORIUS, graviſſima commendatio pondus aliquod attuliſſe ad inſignem Reginæ erga FRACASTORIUM voluntatem & benevolentiam. At prudenter factum a FRACASTORIO, quod beneficia, manu quamvis Regia oblata ſibi, modeſte declinaverit, ingenii ſui probe conſcius, & futuras rerum viciſſitudines ſagaci animo præcipiens. Intenta jam Gallorum, ſi veniret ipſe, in ſe tela acerrima, concepta odia, ſtructasque inſidias videbat; a quibus omnibus facile cavere ſibi poterat, paterna rura præferendo peregrinis, & intra ſuam ſe conſervando mediocritatem.

§. VII.

Ore vultuque toto Fracaſtorius aſpectum viri boni ac honeſti præbuit, & eleganti lineamentorum conformatione gravitatem decusque virile præ ſe tulit. Statura corporis fuit parva quidem, ſed decora ſatis, nec obeſa nimis, nec gracili, fronte explicata & ingenua, facie rotunda, coma nigra & promiſſa, barba nobili, naſo contracto paululum & uncinato, ſubnigris oculis, humerisque firmatis bene & nervorum inſtructis robore. (a) Quemadmodum vero in ornando corpore naturam ſatis nactus eſt beneficam; ita fautricem

cem maxime habuit in tribuendis animi virtutibus. Haud fuit quisquam, qui non ingenium in eo liberale & in congreſſu hominum jucundum, (b) animum demiſſum & a faſtu alieniſſimum, (c) ad officia paratum, (d) erga obvios quosque facilem & benevolum, nec in judicando amarum, (e) vitæ genus quietum & turbarum expers, (f) neutiquam tamen otioſum, ſed honeſtis ſemper curis laboribusque occupatum, (g) in victu temperantiam & parſimoniam, (h) mites compoſitosque mores, (i) denique multa virtutum præſtantiſſimarum decora ſuſpiceret magnopere, debitisque laudibus extolleret. Taciturnitatem loquacitati prætulit, & viro gravi dignius putavit, cogitare multa, quammulta dicere. (k) In Muſicæ ſtudiis amœnioribus haud parum collocavit temporis, hisque, dum otium daretur a curis gravioribus, delectatus eſt mirifice. (l) Uxorem duxit, patris conſilio, juvenis admodum, (m) quæ, fœcundo puerperio, filios ei peperit quatuor, ſpe majores, quam eventu, quippe omnes, præter Paulum Philippum, morte patrem antegreſſos. (n) Domum in urbe patria inhabitavit, ſive hæreditate acquiſitam a majoribus, ſive ſua demum partam induſtria & laboribus. (o) Solebat autem, quandocunque liceret ei per negotiorum molem, animi cauſa extra urbem commorari in agro Melſineo (p) aut mon-

te

te Caphio (q) ſuburbano, amœniſſimis prædiolis ſuis, ubi non Muſarum minus commercio, (r) quam amicorum frequenti uſus conſuetudine, (s) maximam vitæ ſuæ partem placide leniterque transegit.

(a) De forma corporis, quam præ ſe tulit FRACASTORIUS, certiores nos faciunt ſcriptores ejus rei optime gnari, JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 16*, FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* & præ aliis *Autor Anon. Vitæ Frac. p. 3.* Is enim, ſi non ipſius FRACASTORII, certe filii PAULI PHILIPPI æqualis, ad vivum expreſſam, & tanquam oculis ſuis uſurpatam olim, FRACASTORII ſiſtit imaginem. *Fuit Fracaſtorius*, inquit, *parva quidem, ſed quadrata corporis ſtatura, latis humeris, & barba decenter honeſtatus, nigra coma prolixaque, facie rotunda, ſubnigris oculis, naſo ab diutiſſime contemplandis ſtellis contracto ſimoque: ceterum totius oris aſpectu, ingenium maxime vividum, miram probitatem ſincerique animi candorem referente.* Naſo FRACASTORII, vellem, pepercisset ſcriptor lynceus; ne, abutendo oculis ſuis, fieret nobis quodammodo ridiculus. Quis unquam vidiſſe ſe naſum meminit, formoſum antea ac decentem, uncinatum poſthac ex frequenti contemplatione ſiderum. Væh Aſtronomis omnibus, bono hominum generi, ſi tantum ipſis naſi periculum ab aſtris imminet! Quaſi vero, qui non ex utero materno naſum contractum attulit, alium velut naſum annis poſſet maturioribus induere; aut, ſi fieri hoc poteſt, quaſi vero metuendum id eſſet a ſideribus. Sane parum hic naſi habet ſcriptor Anonymus. Cautior in eo FRANC. POLA, qui eandem naribus FRACASTORII formam tribuit, ſed cauſam ejus rei nullam affert. In ceteris ſcriptor uterque plane inter ſe conveniunt, & imaginem eandem iisdem fere verbis, iisdem fere coloribus depingunt, niſi quod ſerenam ille & exporrectam,

hic

hic *ſeveram* in FRACASTORIO *tetricamque* frontem agnoſcat. POLÆ aſſentiri JO. IMPERIALIS *l. c.* videtur; ſed verbis id facit mollioribus & plane magnificis. *Referebat omnino*, ait, *priſcæ honeſtatis exemplar, quæ civium in ſe omnium ora, divinarum prope virtutum opinione, vertebat.* Statim vero, quaſi ipſum pœniteret tam honorifice dictorum, mutat ſententiam, &, quod hominis ſtupidi eſſe ſolet, *hæſiſſe*, addit, *obtutu Fracaſtorium, tetricamque geſſiſſe faciem.* Noſtrum non eſt, hic certi quicquam definire. Non enim major eſt ſcriptoris Anonymi, quam POLÆ, autoritas. Vixit uterque ætatem FRACASTORII quam proxime. Neque operæ fuerit pretium, de re tam levi operoſe disquirere. Quæ in fronte hujus Commentationis inſculptam in ære ſiſtit Itali noſtri imaginem, tabula vultum gravem oſtendit, nec auſterum tamen, ſed qualis eſſe virorum ſolet. Mediam ita ingreſſi viam ſumus, divinantes quaſi, talem reapſe oris vultusque habitum fuiſſe. In reliquis nihil mutatum temere, neque, ut opinor, a ſculptore noſtro, neque a nobis ipſis, qui operis formam ſculptori ſcripſimus. Dedimus operam, ut frontis decus omne, & lineamenta omnia, quantum fieri poſſet, expreſſa ad vivum eſſent. Et quamvis eandem ante nos delineatam dederint imaginem JO. JAC. BOISSARDUS in *Icon. p. 129*, JO. IMPERIALIS *l. c. p. 15*, ONUPHR. PANVINIUS in *Antiquit. Veronenſ. lib. VI*, PAULUS RHAMNUSIUS in *Opp. Fracaſt.* Venetiis anno 1584 apud *Juntas* editis, alii; forte tamen primi nos, ſi quid recte nobis blandimur, dedimus accuratiſſime. Illi de imaginis ornatu magis, nos de vita magis & ſimilitudine laboravimus. Fecimus ea in re, quod exquiſitis alii ſplendidisque carminibus, alii monumentis ære exſtructis ſtatuisque fecere; quemque famæ ſummi Italorum & virtuti debebamus, hunc ei honorem habuimus.

(b) Conſpicuæ in FRACASTORIO multæ tam animi fuere virtutes, quam ingenii. De his ſupra diximus, ubi multi-

 pli-

plicem FRACASTORII doctrinam, & varia in literas merita laudavimus. Illas jam perſequemur copioſius. Sunt iſtæ per ſe tam illuſtres & inuſitatæ, ut, quamvis parum laudatæ nobis, ſatis ipſæ laudis & commendationis habeant. Animo, conſtat, FRACASTORIUM ſemper fuiſſe hilari, erecto, mœroris neſcio, in congreſſibus amicorum feſtivo, ad urbanitatem jocosque compoſito. Teſtantur id FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c. ingenio apertum, ſatisque hilarem & urbanum* vocans FRACASTORIUM, JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 17*, qui ex *admirandis, vel inter loquendum, vel inter ſcribendum, ſententiis, urbanitatis etiam ſale interdum conditis*, cognoſci potuiſſe affirmat, quam *ſtupendum lateret in nobili pectore naturæ arcanum, egregiis obvium, ignavioribus abditum*, denique *Autor Anon. Vitæ Frac. p. 4. & 5*, qui, *aperto* eum, *liberali, & perblando ſemper* fuiſſe *ingenio*, & *illius ſermonibus ad hilaritatem ſæpius converſis, nihil lætius, nihil urbanius potuiſſe reperiri*, contendit. Virtus hæc, ſi in quoquam alio, certe in Medico amabilis maxime. Sæpe hunc eloquii ſuavitas & opportunæ in ſermone facetiæ magis, quam artis ſuæ præſtantia, commendat, & moroſum Medici vultum ægrotantes æque, ac morbum ſuum, ſolent perhorreſcere.

(c) Ab ambitione omni, ea nempe, quæ vanam gloriæ mox interituræ umbram conſectatur, alieniſſimus fuit Noſter, & ſorte ſua contentus vixit, ſatisque habuit, ſi viri boni, honeſti, & aliorum commodis intenti, nomen tueri poſſet. Ita enim FRANC. POLA *l. c: - - cultu humilis, - - minime ambitioſus, exquiſitum laudabilis vitæ genus adamavit;* & *Autor Vitæ Frac. p. 4: Vir fuit minime ambitioſus, & parvo contentus, - - perblando ſemper ingenio, ut, cum ſumma eſſet morum temperie, facilitateque naturæ, non eloquio, non cultu, faſtum ullum oſtenderet.* Nec, quantum ſcio, honores unquam appetiit, aut munera affectavit civilia; ſed homo privatus liberalem ex medicina quæſtum fecit. Quæ ſi me fallit opinio; in hunc er-

rorem

rorem ſcriptorum inducor ſilentio. Virum omnes doctrina meritisque ſummum prædicant; nemo ampliſſimos in civitate honores conſecutum perhibet. Sane, ſi honores, a Margarita, Navarræ Regina, decretos ſibi, non vulgares profecto, recuſavit modeſte, quod §. *VI* diximus, facile nobis perſuademus, ita comparatum animo fuiſſe FRACASTORIUM, ut vitam domi quietam placidamque agere, quam in ſummis muneribus obtrectatorum experiri odia maluerit & invidiam.

(d) Quam facilis erga obvios quosvis FRACASTORIUS, quamque promtus fuerit ad præſtanda humanitatis officia, perſpicue cognoſcitur ex verbis *Autoris Vitæ Frac. p. 6: Amabat omnes, omnium ſemper obſequiis ac commodis erat intentus, - - eos vero, quorum fidem benevolentiamque in ſe cognitam atque exploratam habebat, mutuis atque iis quidem fere ſemper majoribus obſequiis proſecutus eſt.* Quæ ſine dubio cauſa fuit haud poſtrema, cur inimicum rebus ſuis FRACASTORIUS neminem, amicos haberet nobiliſſimos Italorum quosque, hosque vinculo ſibi jungeret arctiſſimo.

(e) Facile fidem habemus *Autori Vitæ Frac. p. 4*, neganti, *unquam in alieni operis cenſura amarulentum aut parcum laudatorem* fuiſſe FRACASTORIUM. Id enim non ſolum ingenio ejus convenit, perquam miti & placido, ſed paſſim etiam ex ſcriptis ejus, in quibus nihil non leniter molliterque dictum, abunde perſpicitur. Si quos aliorum hic notavit errores, non id fecit hoſtiliter & contumelioſe, ſed amice, & blandientis inſtar. Suum cuique jus tribuit, ſuis quemque laudibus ornavit; non perſpicacior in ſuis, quam aliorum, meritis. Ingenioſiſſimum dixeris in maximorum virorum laudibus, ubi legeris exquiſita, quibus Italorum haud paucos proſecutus eſt in ſcriptis ſuis, præconiorum genera. De ſe ipſo vero quandocunque mentionem injicit; mireris rurſus inuſitatam ſcribentis modeſtiam, quæ tanta eſt, ut ne ſatis quidem pro merito a nobis poſſit collaudari.

 (f) Ita

(f) Ita ſolent plerumque homines, qui prudentia magis, quam cæco ambitionis impetu reguntur, ut, procul a ſtrepitu urbano, ſua ſe virtute involvant, & in generis humani unice elaborantes commodis, pulcherrimam vitæ integræ atque honeſtæ laudem conſectentur. Merito annumerandus his FRACASTORIUS, qui, teſte *Autore Vitæ ejus p. 4*, *vitæ genus adamavit quietum, cunctis ſolutum curis & litibus, cum vir minime ambitioſus & parvo contentus, honeſtæ ac jucundæ vitæ ad bonam ſemper frugem percupidus, unam tantum ſtudiorum laudem ſpectaret.* Rem eandem de Italo noſtro refert FRANC. POLA *l. c.* Factum hinc, ut, ſi quid temporis a cura ægrotorum haberet vacuum, in ſuos ſe Caphios reciperet, &, amicorum pauciſſimis in ſocietatem ſibi adjunctis, in literis placidiſſime conquieſceret, atque humana omnia magno animo deſpiceret. Qua de re paulo poſt prolixius.

(g) Quantumvis bona otia amaret FRACASTORIUS, nunquam tamen otioſe vixit, nunquam a ſtudiis ceſſavit, nec ullam temporis particulam oſcitando traduxit, ſed ad extremam usque ſenectutem cum Muſis converſatus eſt familiariſſime. *Conſuetudo illi*, ut refert *Autor Vitæ ejus p. 5*, *aſſidua erat multum cogitandi, plurima ſecum animo volvendi: neque enim vel deambulando tempus ullum labi fruſtra vir nunquam otioſus patiebatur.* Unde non mirandum adeo, eorum, quæ FRACASTORII debentur ingenio, ſcriptorum partem maximam in ſeceſſu Caphio, ubi otii cauſa deliteſcere frequentius ſolebat, fuiſſe concinnatam. Documentum hæc præbent luculentiſſimum ingenii maxima quæque volventis ſemper, iisque ſemper occupati cogitationibus, unde aliquis ad omne eruditorum genus pervenire fructus poſſet.

(h) Cum ipſe Medicinam, hoc eſt, artem profiteretur, qua corpus humanum a morbis ſervari integrum poteſt, & valetudinis ſuſtentandæ leges civibus ſuis præſcriberet; æquum erat, ipſe ſuo aliis exemplo præiret, & in cultu victuque mode-

deratum ac temperantem ſe gereret. Quis enim fidem haberet Medico, aliam ſibi ipſi, ac civibus ſuis, legem dicenti? Laudandus igitur hoc nomine FRACASTORIUS, quod, non ſua minus, quam aliorum, cauſa, vixit parce, continenter, ac ſobrie. *Victu parcus, cultuque humilis* dicitur FRANC. POLÆ *l. c.* &, *menſam ei fuiſſe hilarem ac frugem, exactiſſimaque ſemper ad tuendam valetudinem ratione inſtructam*, refert *Autor Vitæ Frac. p. 4.* Quo vitæ genere, tam frugali, tamque ad valetudinem accommodato, illud impetravit, ut ad ſummam viveret ſenectutem, & extremum ſeptuaginta annorum terminum attingeret.

(i) Eadem, qua in victu, in moribus etiam & externa vivendi ratione, temperantia fuit & modeſtia. Prædicat id de FRACASTORIO FRANC. POLA *l. c. moribus* vocans *temperatum.* Ex quo ſatis apparet, plane natum ad ſocietatem, & virtutum ornamentis omnibus FRACASTORIUM fuiſſe inſtructiſſimum.

(k) Multum ille profeciſſe virtute & cultura animi dicendus eſt, qui tacere in tempore, & in tempore loqui didicit. Et ſapientior is, qui taciturnitati aſſuevit, quam qui animum in primoribus ſolet labris gerere. FRACASTORIUS, ſive hoc a natura datum ſibi, ſive longa demum acquiſitum exercitatione habuerit, maximam vitæ ſuæ partem tacendo transegiſſe, nec niſi rogatus, & invitatus velut, emiſiſſe vocem dicitur. *Taciturnitate quadam cogitabundus*, inquit JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 16*, *obtutu hærere, ſedatam, ſed tetricam faciem gerere, eloqui non niſi laceſſitus, vel potius rogatus, ſolebat.* Similiter FRANC. POLA *l. c: Ille re vera uti ſecum tacitus ac fere attonitus perpetuas faciebat cogitationes; ita perquam raro, & niſi plurimis adeoque importunis amicorum precibus impulſus, loquebatur; & quamvis ſatis hilaris & urbanus eſſet, ſeveram tamen faciem & tetricam præ ſe ferebat.* Cui jungo *Autorem Vitæ ejus p. 5: Raro admodum &*

 niſi

niſi plurimis adhortationibus invitatus, loquebatur. Neque id ſtupore quodam ſenſuum, aut inepta factum verecundia, ſed animo deliberato & prudenti conſilio, ex eo colligo, quod, ſi quid aliquando in congreſſu amicorum ab eo prolatum, illud melle tinctum & ad exhilarandos audientium animos fuerit compoſitum; ſicut nos docent verba FRANC. POLÆ *l. c.* & *Autoris Vitæ Frac. l. c.* quæ *ſub not. (b) huj.* §. adduximus. Singulare illud referunt JO. IMPERIALIS *l. c.* & FR. POLA *l. c.* tunc, cum maxime defixus ipſi hæſerit animus in rerum graviorum cogitatione, labrum ſuperius commordere, aut levi morſu demulcere ſolitum. Cujus rei cauſam definire ſcio naturalem maxime. Nam cum ipſi, quod ſupra dixi §. *I. ſub not. (n)*, infanti olim labra, quæ anguſtiora attulerat ex matris utero, recluſa & reſerata quaſi fuerint tonſoris cultello; non difficile eſt creditu, relictum ei fuiſſe ex inciſura illa per omnem vitam dolorem quendam, quem ipſe molliore morſu, ſi non tollere penitus, lenire certe ſciverit ac mitigare. Unde non eo magis tempore, quo res ſerias volvebat animo, quam quo vacuus erat a curis omnibus, id factum a FRACASTORIO exiſtimo.

(l) Pulcherrimum cum poeſi Muſica concentum habet, &, qui carmina dulce canit, raro ille cithararum ſonos averſatur. Recreantur illis animi, & curarum liberati moleſtiis, ad gaudia & hilaritatem revocantur Tantum abeſt, ut omne vitæ tempus pulſandis plectris impendendum, & in arte citharoedica conſeneſcendum putem. Quo nomine laudem meretur FRACASTORIUS, qui, teſte *Autore Vitæ ejus p. 5, Muſicæ non niſi oblectandi animi cauſa ſtudium adhibebat.* Vid. etiam FRANC. POLA *l. c.* qui, huic otii generi maxime in Caphiis, loco ad carmina & molles cantus aptiſſimo, vacaſſe, refert, FRACASTORIUM.

(m) Con-

(m) Conjugali alligatum vinculo fuiſſe FRACASTORIUM, & in matrimonio habuiſſe uxorem felici partu nobilem & puerperiis inſignem, manifeſto conſtat ex teſtimonio FRANC. POLÆ *l. c.* & *Autoris Vitæ Frac. p. 3.* At de nomine uxoris, natalibus, patria, genere, moribus, ac vitæ exitu, nihil eſt proditum memoriæ. Neque de nuptiarum tempore ſatis, quos modo nominavi, ſcriptores inter ſe conveniunt; etſi, celebratas a juvene admodum, uterque affirmet. Factum id extincto demum patre, poſt cladem Abduanam, cum ex itinere, quo Livianum Ducem fuerat ſecutus, reverſus domum eſſet, perſuaſum ſibi POLA habet; contra *Autori Vitæ ejus* multo ante, vivo adhuc ſuadenteque patre, dum ſtudiorum cauſa Patavii moraretur, conſcendiſſe torum conjugalem perhibetur FRACASTORIUS. Horum quis majorem mereatur aſſenſum, non ſatis ego intelligo. Quamvis enim, ſi ex veriſimilitudine ſententia ferenda, ad POLÆ magis, quam ad *Autoris Anonymi* partes inclinet animus; ſcimus tamen, quam fallax ſit in re hiſtorica judicium ejusmodi, & quam facile poſſit contingere, ut, quæ veritatis exiguam habent ſpeciem, tam explorata ſint & manifeſta, ut in dubium vocari poſſint a nemine. In ſcriptis ſuis FRACASTORIUS uxoris ſuæ non niſi ſemel meminit; neque inde diſcas multa. Nimirum in Carmine *ad Jo. Bapt. Turrianum*, quo filiorum ſuorum immaturam mortem luget, dolorem matris indomitum verſibus exprimit, & jactura filiorum graviter afflictæ addere aliquid ſolatii laborat. Audiamus poetam, ipſum ſolatii, quod uxori offert, indigum:

Heu, miſerande puer, quanto plena omnia luctu
Liquiſti abſcedens. Quem non veſana Deorum
Incuſavit inops, cum te complexa jacentem
Aſpiceret laniata comas & pectora mater?
Ah miſera, ah male fauſta parens, quid Numina fletu
Sollicitas? jacet ille velut ſuccisus aratro

Flos

Flos tener, & fruſtra non audit tanta gementem.
Ah miſera, ah quid ſublatum complexa moraris?
Ille tuus non jam eſt, &c.

(n) Filios FRACASTORIUS genuit numero quatuor, PAULUM, JULIUM, PAULUM PHILIPPUM, & quartum, cujus nomen ignorare nos jubent ſcriptores. Infelix in eo pater, quod, præter PAULUM PHILIPPUM, haud ullum filiorum reliquit ſuperſtitem. PAULUM & JULIUM, pueros adhuc, tertium, annis ſatis firmatum *& conſilio maturum, amiſit*, ut verba ſunt *Autoris Vitæ Frac. p. 3.* Illorum funera recordatione triſtiſſima, carminibus, lachrymisque proſecutus eſt ardentiſſimis. Nemini obſcurum id eſſe poteſt, qui legit Carmen ejus *ad Jo. Bapt. Turrianum*, funeſtum ſane, & inter mille ſcriptum ſuſpiria. Juſtiſſimo hic dolori fræna laxantem videas, & ita ingemiſcentem fortunæ ſuæ, ut, quisquis hæc legis, continere vix poſſis lachrymas. Ipſe ſibi hic

Natorum genitorque gubernatorque duorum
Infelix

dicitur, & *dulces natos* ſuos, & *cariſſima* ſua *pignora*, ſi fieri poſſet, revocaret ab inferis. Interdum cum gemitu exclamat:

O fortunatum nimium, ſi Numina tantum
Hæc mihi ſervaſſent, ſi non caſura dediſſent,
Verum aliter Lacheſi viſum eſt, quo tempore primum
Natorum cœpit producere fila duorum.
Non licuit firmos annis virideſque juventa
Inſpicere, & charæ ad metam deducere vitæ,
Nec potui votis, nec ope adjuviſſe paterna
Clamantes, fruſtraque patris ſuprema petentes
Auxilia, & nota nequicquam voce vocantes.

Tandem, victus velut dolore, hanc ſibi ipſe legem dicit, ut querelis nunquam imponat finem, ſed æterna filiis paterni amoris monumenta ſtatuat:

Ipſe

- *Ipſe ego vos ſemper lachrymis, vos carmine triſti*
Proſequar, & veſtris perſolvam juſta ſepulchris,
Donec me vobis tenuem conjunxerit umbram
Summa dies, natis æquat quæ ſola parentes.

Primus ei tenerrima ætate ereptus fuit filius PAULUS, elegantis ingenii puer, & parenti, vt videtur, omnium cariſſimus. Ita enim ibidem FRACASTORIUS:

Heu mortem inviſam! Quis te mihi, Paule, Deorum
Abripit, & miſerum complexibus abſtrahit iſtis?
Tu prior immiti correptus morte, parentem
Deſeris, & dulces auras, & lumina linquis.
Quod te ſi tali dederant ſub lege futurum
Fata mihi, non jam fuerat mœroris abunde,
Non gemitus? &c.

Hunc ſecutus eſt JULIUS, maximæ matris deliciæ, cura atque gaudia. Ita enim pergit parens afflictiſſimus:

- - *Quid me e tam multis patribus unum*
Cælicolæ lachrymisque novis, & morte recenti
Opprimitis, charoque etiam ſpoliatis Julo?
Heu, miſerande puer, quanto plena omnia luctu
Liquiſti abſcedens, &c.

De tertii filiorum morte nihil nos docet FRACASTORIUS, ſed uni ea de re *Autori Vitæ Frac.* habenda eſt fides. Debebat autem hæc optimæ prolis jactura, quam carmine illo deploravit, tanto eſſe acerbior FRACASTORIO, quanto majorem ipſe de utriusque filiorum ingenio ſpem conceperat. Diſpenſaverat jam inter eos, vano conſilio, laborum ſtudiorumque penſa quædam, & præceptorem, qui bonis literis, poetica inprimis & rerum naturalium doctrina eos inſtitueret, deſtinaverat ipſis JO. BAPTISTAM TURRIANUM. Mollioribus hæc omnia ipſius FRACASTORII verbis expoſita leguntur *l. c.* Reparata quodammodo hæc jactura fuit in filio PAULO PHILIPPO, quippe quem non ſolum digniſſimum nominis gloriæ-

que ſuæ hæredem reliquit, ſed ex quo *plures* etiam *avitæ indolis nepotes non ſemel aut iterum fuerat amplexus.* Memorat hæc *Autor Vitæ Frac. p. 3 & 8*, qui, facta PAULI PHILIPPI mentione, hoc de eo addit elogium: *Hunc hodie præclare florentem ingenio admiramur.* Ceterum in educatione liberorum uſus conſilio videtur Noſter admodum prudenti. Non eos, ut ſolent interdum parentes, ſervorum inſtar jugo adſtrinxit, ſed ingenue educavit & liberaliter. Habuit eos in Caphiis ſuis comites frequentiſſimos, & quævis hic honeſtæ voluptatis genera iis permiſit utenda. Literarum vero ut caperentur amore quodam, ipſe deambulantibus & alia omnia agentibus digito velut obviarum quarumque rerum cauſas commonſtravit. Cognitum id nobis eſt ex Carmine FRACASTORII *ad Franc. Turrianum*, ubi, dum in eo eſt, ut ſeceſſus ſui ſuburbani rationem reddat TURRIANO, natorum etiam meminit, &, quid illis in monte Caphio negotii, certiorem facit amicum ſuum. Belle profecto & jucunde:

Interea natos diſcentes ruſtica amare
Numina, vicini nemoris gelidam voco in umbram,
Qui libros, qui ſecum horæ ſolatia portent.
Hic legitur viridique toro, ſaxove ſedetur
Glandifera ſub fago, aut caſtanea hirſuta.
At variæ circum ſylvis, & frondibus altis
Aſſuetæ ludunt volucres, atque æthera mulcent;
Tum denſum nemus atque umbræ per gramina læta
Jejunas nos invitant ſpatiarier horas.
At feſſi hæc inter pueri ſitiuntque dolentque
Plus æquo retineri, & jam Muſasque libroſque,
Et Pana, & gelidi pinus odere Lycæi.
Ergo præcurrere, & aquas & vina pararunt
Lucenti in vitro, & flores ſparſere nitentes.
Advenio. Primas atro lita mora cruore,

Aut

Aut groſſi menſas ineunt, cors cetera, & hortus
Sufficit. - - - - - - - - - - -
Verum, ubi cæruleis ſerus ſeſe extulit undis
Veſper, & in cælum ſurgentia ſidera vexit,
Vicina e ſpecula, magni admirator olympi,
Alta rupe ſedens, natis aſtra omnia monſtro,
Accendoque animos patriæ cæleſtis amore.
Illi admirari, & cognoſcere ſidera diſcunt,
Cypheaque, Arctonque, & ſervantem plauſtra Bootem.

(o) De domo, quam Veronæ inhabitavit FRACASTORIUS, nihil habeo, quod referam, niſi quæ tribus verbis nos docuit *Autor Vitæ Frac. p. 3*: *Domum habuit Veronæ juxta D. Euphemiæ.* Ex quo illud cognoſcimus, non anguſta FRACASTORIUM & tenui, ſed larga ſatis & opulenta uſum re familiari.

(p) Agri Melſinei unus mentionem facit *Autor Vitæ Frac. p. 3.* Nihil tamen de eo memorat, niſi quod frequenter hic commoratus ſit FRACASTORIUS. Neque, præter nomen agri, multa de eo cognoſcas ex ſcriptis FRACASTORII; cum de rure Caphio paſſim dicta occurrant. Pauca ſunt, quæ leguntur in Carmine ejus *ad Jo. Matth. Gibertum:*

Ille tuus, Giberte, ſacras qui in montibus aras
Melſineis tibi conſtituit, &c.

& in Epigrammate *ad eundem Gibertum:*

Melſineæ rupes, ſubjectaque littora Tuſci,
Quæ ſuprema ſonans alluit unda lacus, &c.

Pauca hæc, ſed quæ ſufficient tamen. Dicendi ſat cupidis ſilentium imponit rerum dicendarum inopia.

(q) Amœniſſimum FRACASTORIO in monte Caphio, quem *Caſpium* inepte dicit JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 16*, prædium fuit, ſitu, planitie, cæli plaga, aeris temperie, paſcuis, hortis, rivulis, & omnis generis deliciis, nulli ſecundum. Locus is cum in ſuaviſſimis cultiſſimisque Italiæ

haberi ſoleat, ſitque *toto Veronenſi agro*, ut verbis utar *Autoris Vitæ Frac. p. 3*, *tam eximio cultore celeberrimus*; operæ fuerit pretium, varia amœnitatum & pulchritudinum genera, quibus natura illam agri Veronenſis partem exornavit, copioſius hic, ipſis quidem *Autoris cit.* verbis, commemorare. Ita vero ſcriptor diligentiſſimus *l. c*: *Eſt Caphius mons ad radices Baldi XV millia paſſuum Verona diſtans, inter Athesim & Benacum medius. Ibi, cum paululum aſcenderis, villa in collis jugo, in media planitie, ad conſpectum Benaci (non eximiis illa quidem, ut reguli, ac beatioris fortunæ homines, opibus ingenioque validiores, ſupra civilis fortunæ cenſum ædificarunt, picturis exornata, ſed uno tantum loci genio, ac ſitus prærogativa admirabilis) reperitur. Quadrata domus eſt, ac liberiori undique, præterquam ab aquilone, cæli facie coronata: nam qua ab oriente Atheſin ad radices montis ex intima Germania prope Baldum rapido curſu defluentem attingit, Veronam urbem & circumfuſas innumerabiles in ſubjecta planitie villas longiſſime proſpectat; atque in his, omnis generis armenta errantia, & fumantia ſub veſperam tecta intuetur. Ab Occidente autem Benacum e converſo lætiſſima facies excipit: pari hercle occurrentium collium varietate mirabilior ac jucundior: cum vel altos interdum Benaci fluctus, & beatam Catulli peninſulam, ac veliferas item claſſes, & piſcantium naviculas longe advenientes perſpectare, tum diverſa oppida apricis promontoriis expoſita lubet contemplari. Hinc Bardolinum ſubjectum: hinc frequenti olea & citriis colles coronatos: hinc demum nemoroſa & læta virentibus paſcuis, naſcentium montium juga deſpectantur. Noxios ventorum flatus ad meridiem paululum exſtans ante domum cubitus eminentibus pomiferis arboribus jucundus, ac Baldus mons ad aquilonem vergens, omnem hyemis duritiem procul expellit: ita tamen, ut & in media æſtate, cum ex alto ſol urget, obortis eteſiis blandiſſime ventiletur, nec ardere in cælo Sirium ſentiat: & per hyemem, apricum fere ſemper ſolem, & nebulæ*

omnis

omnis expertem diem admittat. Benacus porro, qui maritimi littoris naturam æmulatus, nunquam gelaſcit, atque omnem hyemis duritiem ſuaviter frangit, frequenti nobilium troctarum & carpionum piſcatione, non parum momenti ceteris quoque affert commodis. Hic illum interior domus æſtivis hybernisque cubiculis atque interioribus conclaviis, ubi amicos benigne atque hilariter excipere conſueverat, perquam commoda, quod magnopere Muſis expetitur, ſtrepitu vacua, atque alti plena ſilentii, omnibusque munditiis nitida, ad ſecretiora accedentem ſtudia comiter accipiebat: quando editis æternæ famæ carminibus, nobile illius caput ſertis, & virenti per omnem Europam laurea coronaret. Hactenus ſcriptor Anonymus. Cujus dictis robur aliquod addit ipſe FRACASTORIUS in Carmine *ad Franc. Turrianum*, ita canens:

Quantum ego te his mecum Caphiis in montibus optem,
Montibus his, ubi, ſi querulæ nemora alta cicadæ
Non rumpant, equidem vix norim æſtatis adeſſe
Tempora, tam leni miteſcit Julius aura.
Sed quid, ſi eſt anguſta domus, dum pulvere & omni
Munda ſitu: dum ſit nullo turbata tumultu,
Neſcia curarum, nullius conſcia culpæ:
Alta ubi per totum ſit pax, & amica Camœnis
Otia, & integri permagna ſilentia ſomni?

& in Carmine *ad Alexandrum Farneſium:*

Ipſe tibi Caphiis ſacras in montibus aras
Inſtituam, qua ſe ſummo de vertice collis
Tollit, & æquatum Benaci proſpicit æquor,
Et virides olea ripas, patriamque Catulli, &c.

Pertinent huc ea quoque, quæ de Caphiis ſuis affert in *Præf. Dial. de Anima.* Huc, cum primum a ſeverioribus curis otii quid nactus fuerat, penates transtulit, & in collium amœniſſimis viretis, procul a ſtrepitu urbano, jucunde ſuaviterque vixit. Teſtes ſunt FR. POLA in *Elog. Frac. l. c. Autor Vitæ*

Frac. l.c. & ipſe FRACASTORIUS, variis in locis. Eo inprimis tempore, quo gravis per urbem Veronam peſtilentia inciderat, & rerum omnium facies erat deploratiſſima, diuturnum in Caphiis domicilium habuit, & tanquam in latibulo ſe vitamque ſuam ſervavit incolumem.

(r) In Caphiis FRACASTORIUS, ſicut in Tuſculano TULLIUS, comites nunquam non habuit Muſas ſuas, harumque jucundiſſima delectatus eſt conſuetudine. Nam cum in urbe non multum adeo temporis impendere ſtudiis poſſet, continuo ægrotorum quaſi alligatus lectulis; interdum, ut reſpiraret ab his negotiorum moleſtiis, in Caphios ſuos divertit, per nemora collesque umbroſos ſuavioribus literis operam daturus. Solebat autem non iis minus, quæ oblectamenti multum habent, quam quæ laborem & induſtriam requirunt, hic ſtudiis incumbere. *In antiquorum hiſtoriis, & illuſtribus clariſſimorum virorum factis perlegendis* multum collocavit temporis; *adeo ut Plutarchus atque interdum Polybius, ex manibus fere nunquam exciderent*; teſte *Autore Vitæ Frac. p. 5*, & *Franc. Pola* in *Elog. Frac. l. c.* Adhæc totus in Muſica, Aſtronomia & Coſmographia deſudavit, & orbes illos ligneos, in quibus univerſas terrarum regiones ſecundum veram intervalli dimenſionem deſcripſerat, fabricatus eſt manu artifici; præclaram etiam rei herbariæ, montes atque prata peragrando, cognitionem ſibi comparavit, & in varia herbarum genera Commentarios ſcripſit, vulgo parum cognitos. Vid. de his omnibus JO. IMPERIALIS in *Muſ. p. 16*, & FRANC. POLA *l. c.* Neque de vivendi genere, quo uſus eſt in Caphiis ſuis FRACASTORIUS, certius conſtare poterit, quam ex iis, quæ ipſe in Carmine *ad Franc. Turrianum* nos bona fide edocuit. Lege illud, quæſo, integrum; nam jucundiſſimum eſt cognitu. Inde diſces, quid a prima luce ad veſperam usque negotiorum Noſter geſſerit in Caphiis. Primo ſtatim diluculo ſupremum montis verticem aſcendit, & pulchre

chre naſcentem auroram ſalutavit; tum errantes per nemora & paſcua greges proſpectavit, tenerosque filiolos per opaca virgulta comitatus, Phœbo Muſisque ſacra fecit, & liberioris ingenii carmina decantavit; ſub ſolis vero occaſum natis ſurgentia monſtravit ſidera, & cæli univerſas regiones circumſpexit. Illud etiam ſatis habeo compertum, maximam ſcriptorum FRACASTORII partem in monte Caphio primam aſpexiſſe lucem. Nam quod ad Dialogos *de Poetica*, *de Intellectione*, & *de Anima*, hos ipſe FRACASTORIUS in *Præf. Dial. de Poet.* relectos a ſe diligenter & politius limatos dicit in monte Caphio. Nec minus de *Syphili* id ipſe docet *Lib. III. de Contag. Morb. Cap. 10*, & in principio *Carminis*, ubi hæc:

Ipſa (Uranie) *ades, & mecum placidas Dea lude per umbras,*
Dum tenues auræ, dum myrtea ſylva canenti
Aſpirat, reſonatque cavis Benacus ab antris.

Conf. etiam *Autor Vitæ Frac. p. 6.* Quin & *Joſephus* FRACASTORII ortum ſuum debere collibus illis videtur; ſiquidem labor ille interceptus eſt morte FRACASTORII, quæ, ut notum ſatis eſt, in Caphiis eum oppreſſit, viribus annisque confectum.

(s) *Amicos* hic *benigne atque hilariter excipere conſuevit* FRACASTORIUS, ut teſtatur *Autor Vitæ Frac. p. 4.* Noverat enim, in otio nihil eſſe amicorum conſuetudine jucundius. Eos carminibus ſæpius invitavit ad hæc gaudia; cujus generis carmen ſcripſit *ad Franc. Turrianum*, ex quo nonnulla, blande & hoſpitaliter dicta, ſupra attuli §. VI. *not. (u)*. In Dialogo *de Anima* mentionem facit amicorum, ANDR. NAUGERII, JO. BAPTISTÆ, & RHAIMUNDI, TURRIORUM, & JAC. BARDULONIS, qui, congreſſi in agro montis Caphii, doctos & ſubtiles de anima humana inter ſe contulerunt ſermones.

§. VIII.

§. VIII.

Confecto jam laudabiliter vitæ honeſtiſſimæ atque gloriæ ampliſſimæ curſu, violento, quem Græci *ἀπόπληξιν* vocant, quique fatalis eſſe maxime ſenectuti ſolet, morbo correptus, & amicorum fruſtra implorans opem, Fracaſtorius die octavo Idus Auguſti, anno ſeculi XVI quinquageſimo tertio, ætatis uno & ſeptuageſimo, in Caphiis ſuis placidiſſime exſpiravit. (a) Defuncti oſſa ex Caphiis translata Veronam, & in templo, quod D. Euphemiæ ſacrum eſt, non ſine pompa ſunt condita. (b) Ad cohoneſtandas civis optimi exequias convenere civitatis nobiliſſimi quique, jacturam ejus graviter ferentes, ereptumque patriæ decus incomparabile lugentes. (c) Jamque apparuit, in quanta, dum viveret, apud omnes laude, in quanta fuerit auctoritate. Vix noſtra ætate doctorum virorum ulli tantum honorum delatum viventi fuit, quantum Fracaſtorio, de patria præclare merito, amici ejus civesque decrevere mortuo. Cognita ejus morte, Poetarum illuſtriſſimorum multi, triſtiſſima quæque ominati Muſis ſuis, lugubri tumulum ejus carmine ornarunt. (d) Quale cum perſolvere manibus defuncti munus non poſſet Joannes Baptiſta Rhamnuſius, Fracaſtorio olim familiariſſimus; magnificentiori longe honorum genere, imaginem ejus Patavii juxta Andreæ Naugerii effigiem collocari

in

in ſublimi ſtatua curavit, & pervetuſtam ei, quæ laudes Fracaſtorii exprimeret, addidit inſcriptionem. (e) Quæ amici erga amicum merita ne majora eſſent civium erga civem pietate; ſolenni publicoque decreto Senatus civitasque Veronenſis, qualem Catullo olim Plinioque, talem Fracaſtorio honorem habuit, & togatam ei in foro ſtatuam illuſtri ritu poſuit ac dedicavit. (f)

(a) Annos jam FRACASTORIUS compleverat ſeptuaginta; jamque ſatis maturus morti videbatur. Atque hic vitæ ejus glorioſiſſimæ terminus fuit. Apoplexia in Caphiis ſuis, quo, gravius urente ſole, ſe receperat, inter prandendum correptus, & corpore toto enervatus fractusque ſubito, fruſtra implorata amicorum ope, in ſuorum amplexibus pie leniterque deceſſit. Ita genus mortis FRACASTORII commemorant uno ore JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 17*, ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. IV. P. I. p. 214*, MELCH. ADAMI in *Vitis Philoſ. German. p. 354*, JAC. AUG. THUANUS *Hiſtor. Lib XII. ad ann. 1553. p. 576*, FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* & *Autor Vitæ Frac. p. 8.* Fore ſibi fatale hoc morbi genus, multo ante FRACASTORIUS providiſſe ex aſtris dicitur FRANC. POLÆ *l. c.* Annum mortis fuiſſe Seculi XVI quinquageſimum tertium, ſcriptores omnes inter ſe conveniunt; niſi quod, errore manifeſto, quadrageſimum GERH. JO. VOSSIUS *Lib. III. de Art. ac ſcient. natura Cap. 64. p. m. 189*, & quadrageſimum octavum FRANC. SIXTUS SENENSIS ſtatuat in *Biblioth. Sancta p. 300.* Neque de die, qui fuit octavus Iduum Auguſti, controverſia eſt. At de loco, qui morientem vidit, major eſt ſcriptorum diſſenſus. Sunt, qui Patavium nominant, ut JO. JAC. BOISSARDUS in *Icon Illuſt. Vir. p. 130*, &, hujus autoritate, ut videtur, deceptus, LUD.

MORERIUS in *Grand Diction. T. II. p. m.* ~~541;~~ ſunt, qui Veronam, ut ONUPHR. PANVINIVS in *Antiquit. Veron. lib. VI;* alii denique montes Caphios fatales FRACASTORIO perhibent, ut THUANUS *l. c.* FRANC. POLA *l. c.* & *Autor Vitæ Frac. l. c.* Quæ ipſa, cum ſit virorum fide digniſſimorum, verior reliquis videtur ſententia. Ab *Autore Vitæ Frac. l. c.* &, qui ipſa hujus, absque omni autoris mentione, verba repetit, MELCH. ADAMO *l. c.* ſingulare quid memorari video, ſilentio prætermiſſum ſcriptoribus reliquis. Famam fuiſſe, referunt, *Hieronymum, dum langueret, cognito fatali morbo, poſt multas amicas ſibi herbas in olfactum balbutiente lingua efflagitatas, amiſſo penitus ſermonis uſu, manu ſæpius in verticem exporrecta, iis, qui aderant, innuere voluiſſe, ut celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro, quo ille peropportuno remedio ſe olim Veronæ unam Monialium virginum Divo Bernardo dedicatarum curaſſe adhuc meminerat, ſubvenirent: ſed, re nequaquam a domeſticis intellecta, cum alii alia adhibenda tum eſſe remedia prædicarent, fruſtra expectato remedio, leniter ſub noctem exſpiraſſe.* Dolerem caſum viri optimi, niſi humanæ vitæ ſupergreſſus ipſe tum fuiſſet terminum, &, in fatis hoc ei fuiſſe, credendum omnino eſſet. Ita fieri plerumque cernimus, ut, quam aliis ſæpiſſime paravimus, eadem ne nobis quidem ipſis in tempore uti liceat medicina.

(b) Errant vehementer JO. JAC. BOISSARDUS in *Icon. p. 130*, & NIC. REUSNERUS in *Icon. ſub lit. o. 1*, Patavii ſepultum perhibentes FRACASTORIUM. Et BOISSARDVS quidem, cum defunctum Patavii falſo rumore audiiſſet, quod diximus ſub *not. (a) hujus* §. ex errore errorem traxit. Veriora nos docent JAC. AUG. THUANUS *l. c.* FRANC. POLA *l. c.* & *Autor Vitæ Frac. l. c.* qui, ex Caphiis Veronam deductas FRACASTORII exuvias, & in templo, quod D. Euphemiæ ſacrum habetur, ædibus FRACASTORII vicino, *honorificentiſſimo funere*, ſepultas, referunt. Forte BOISSARDO &

REUS-

REUSNERO errandi anſam dedit ſtatua, Patavii FRACASTORIO poſita a JO. BAPT. RHAMNUSIO.

(c) Exequias FRACASTORII, *funus proſequente publico luctu tota Academia & civitate*, celebratas dicit JO. JAC. BOISSARDUS *l. c.* Sed hujus parum hic valet autoritas, cum, Patavii id factum, falſo ſibi perſuaſerit. Magis huc pertinet teſtimonium *Autoris Vitæ Frac. l. c. honorificentiſſimo funere* (quale eſſe vix potuit, niſi viris ductum civitatis nobiliſſimis,) oſſa FRACASTORII condita perhibentis. Sane, morte ejus, *ceu fatidici defectu oraculi, concuſſam patriam, bonorum omnium ordines, publico juſtitio & lachrymis colluxiſſe*, teſtatur JO. IMPERIALIS *l. c.* Et quis dubitet, ejus mortem viri, cujus tanta doctrinæ & egregie actorum per Italiam vicinasque regiones fama erat, cujus & innumerabilia de patriæ ſalute merita exſtabant, civium Veronenſium optimis quibusque triſtiſſimam fuiſſe luctuoſiſſimamque.

(d) Poetarum Italorum, ſi vera refert *Autor Vitæ Frac. p. 9*, nemo fuit, qui non graviſſime afflictus tanti viri jactura, ſuarum eſſe partium duceret, laudes ejus immortales literarum commendare monumentis, omnemque amoris, quo complexus olim hunc Poetarum omnium principem fuerat, vim atque robur carmine exprimere. Quorum teſtimonia tanto nobis majori habenda in pretio, tantoque gravius dignitati & exiſtimationi FRACASTORII addere videntur pondus, quanto longius, quæcunque prædicantur de mortuis, ab omni remota eſſe ſolent aſſentatione. Non ſufficit hæc pagina enumerandis ſingulis; neque fore, qui expetat ſingula, puto quenquam. Seligam tamen, quæ præſenti inſtituto maxime conveniant, & ad decus FRACASTORII conferre plurimum poſſint, ex illis potiſſima. Singularis plane erga manes FRACASTORII pietas fuit JUL. CÆS. SCALIGERI, qui, tenerrima olim amicitia conjunctus FRACASTORIO, ſacras defuncto aras poſuit, & in ſingulis earum carmina inſcripſit. Habetur

nempe in *Carminibus Scaligeranis*, quæ junctim prodiere variis in locis, liber integer, *Aræ Fracaſtoreæ* inſcriptus, & exquiſita in FRACASTORIUM Epigrammata, numero ſeptem & viginti, complectens. Non rem eandem canit in ſingulis, ſed undiquaque carminis laudisque rapit materiam. Id quod varii, quos ſingulis præfixit, tituli nos docent. Nunc enim *Famam*, nunc *Charitas*, nunc *cæleſtem mentem*, *quæ regit homines*, nunc *Parcam*, nunc *Auroram*, nunc *populos arbores*, nunc *Animam Fracaſtorianam*, nunc *Benacum*, nunc *Aviculas*, *aquas*, *ventos*, nunc *Solem*, nunc *Vitam hanc*, nunc *ipſum Fracaſtorium*, nunc ejus *picturam* carmine compellat: nunc veteri ritu aras ei conſecrat, ejusque pie precatur manibus. Speciminis loco bina proferam, in quibus ſingularem præ reliquis leporem & concinnitatem admiramur. Alterum eſt ad *Animam Fracaſtorianam*:

Verona flet: natura luget: ordines
Omnes Deorum, qui citos orbes rotant,
Immane quantum lachrymantur & gemunt:
Mœſtam ſororum neniam chorus cantat.
Pro voce Phœbus mœſta fert ſilentia.
Suſpirat omnis orbis, ut meta ultima
Vitæ occupavit Caſtoris magni dies.
Et abſtinere me jubet luctu pudor?
Quod noſtra parvi Muſa momenti nequit
Æquare tanti tam feras damni vices.
Civis ſerenis o recepta ſedibus
Anima, quietis alma compos aureæ,
Quid ſi corollæ lucidis textæ roſis,
Violæque mite veris halantes decus,
Puris caniſtris ſerta complexu rudi
Manes corymbi tortiles placant tuos,
Mea deſpicata hinc exigentur carmina?

Alte-

Alterum, quod inſcripſit: *Ad Fracaſtorium:*

Cum damnum attonitus noſtrum fleo,
Nequitque fletus eſſe par dolori;
Tum ſpargo trepidos pro lachrymis numeros.
Cum ſpecto attonitus numeros tuos,
Pudore fracta Muſa conticeſcit,
Et ſpargo tepidas pro numeris lachrymas.
Cum mens, & pudor, & meritum tuum
Pugnent; es ergo fletibus canendus,
Et ſpargam miſtos cum lachrymis numeros.

Luſit & in obitum HIERONYMI Epigrammate compoſitiſſimo ADAMUS FUMANUS, civis Veronenſis:

Longe vir unus omnium doctiſſimus,
Verona per quem non Marones Mantuæ,
Nec noſtra priſcis invident jam ſecula,
Virtute ſummam conſecutus gloriam,
Jam grandis ævo hic conditur Fraſtorius.
Ad triſtem acerbæ mortis ejus nuncium
Vicina flevit ora, flerunt ultimæ
Gentes periſſe Muſicorum candidum
Florem, optimarum & lumen artium omnium.

Vid. *Carmina Illuſt. Poet. Ital. T. V. p. 237.* Dicitur *Autori Vitæ Frac. p. 9* Epigramma hoc inter ea, quæ ſcripta ſint ab amicis FRACASTORII, *principem obtinere locum omnium conſenſu.* Epigrammati Oden jungo JO BAPTISTÆ AMALTHEI, Opitergienſis, Horatianis ſimillimam, & amore ſcriptam abundantiſſimo, quæ legitur in *Carminibus Fratrum Amaltheorum, cum Sannazarii Carmin. editis Amſtel. 1728, p. 433. ſqq:*

Nec Sol ab ortu pulchrior aureum
Oſtendit axem, nec magis Heſperus,
Cum pura nox invexit aſtra,
Sidereos micat inter ignes,

Quam vera virtus munere cœlitum
Terris refulſit; quam neque fulminis
Exterret ictus, nec minaces
Martis equi, nec iniqua bella.
Sed Ditis atri quem ſemel horridis
Adjecit umbris dura neceſſitas,
Non dia virtus, non Camœnæ
Ætherias revocant ad auras.
Nec Muſa quondam reſtituit parens
Fatis ademtum Threicium Orphea,
Quanquam ille dudum corda molli
Flexerat Eumenidum querela,
Auſus profundos flebilibus modis
Excire Manes, nigraque Tartara,
Noctemque damnatam ſubire,
Dum miſeram Euridicen repoſcit.
Nec morte functum candida Pieris
Ad lucis oras, ad nitidum diem
Fraſtorium vatem reducit,
Sæpe Deos precibus fatigans;
Seu flexuoſo Tethyos e ſinu
Phœbus recurrens explicat aureas
Equis habenas, & rubente
Exhilarat ſua regna curru,
Seu noctis udæ prævius Heſperus
Sacros reliquit Nereïdum choros,
Et Luna rotantes aperto
Extulit Oceano jugales.
Illum gementes Aonio in ſpecu
Flevere Muſæ; nec mel apes, neque
Dulcem dederunt aſtra rorem, &
Flumina deſtituere cycni.
Nunc plena luctus omnia: nunc humi

Phœ-

Phœbea laurus, nunc hederæ jacent;
Nunc cæca nubes ſidus urget
Pierium Stygia ſub unda.
Sic puppis atro mergitur æquore,
Quæ bella nullis gentibus inferens,
Fulgebat inſignis Sabæis
Muneribus, Phariaque merce.
Declivis alto Sol ruit æthere,
Feſſas reclinans Oceano rotas:
Sed luce terras veſtit idem
Purpureo rediens Eoo.
Nos ut ſevera turbidus alluit
Cocytus unda, fataque Gnoſſius
Judex ahena movit urna,
Ad Superos via nulla ducit.
Quis victa morbis, victa doloribus
Firmabit herbis membra potentibus?
Quis verba devolvet rotata
Ambroſio nivis inſtar ore?
Tardasque nectet fluminibus moras,
Carmen decoro pectine temperans?
Carmen, quod argutis ab antris
Sæpe loquax iterabat Echo?
Tu, Phœbe, teſtis, cum tibi fervida
Sacrabat alto pectora Numine
Oracula edoctus Pelasgum,
Sanctaque templa animi recludens.
Sive ille fati præpetis obvias
Tardaret alas Pœonis artibus,
Seu voce mallet, ſeu canoris
Pronum Atheſim fidibus morari,
Qua pulchra labens per vada libero
Amnis natatu Naïadum ſacros

Per-

Pertentat amplexus, & udam
Mordet aqua fugiente ripam.
Sed pone luctus, anxia Pieri:
Non ille magni cultor Apollinis
Urgetur obductus perenni
Nocte oculos, gelidoque ſomno:
Qui ſempiternæ menſus iter plagæ,
Et ſe beatis ſedibus inferens
Acceſſit aſtris, & niteſcit
Altior invidiæ tenebris.

Denique præclara eſt & monumento FRACASTORII ſepulchrali egregie accommodata Inſcriptio, quam poſuit ei dedicavitque NIC. REUSNERUS in *Icon. ſub lit. o. 1:*

HIERONYMUS FRACASTORIUS,
Veronenſis:
Philoſophus, Poeta, Medicus, Aſtrologus,
eminentiſſimus,
Quo nemo in literis abſolutæ virtutis
ſpecimen illuſtrius,
Nemo conſummatæ gloriæ ſpem de-
derat certiorem:
Argumento eſſe poteſt divinum ejus Poema, Syphilidis nomine inſcri-
ptum;
Rerum naturæ indagandæ totus
deditus;
Poſt multa & vitæ & doctrinæ præclara exem-
pla, mortalitati naturæ re-
nunciavit:
Patavii ſepultus anno Chriſtiano
M. D. LIII.

(e) Ex

(e) Ex inferis quaſi & ſepulchris ſuis JO. BAPTISTA RHAMNUSIUS revocavit morem illum, priſcis temporibus uſitatiſſimum, parum auditum noſtra ætate, res maximorum virorum præclare geſtas inſculpendi in marmore, ſacrisque clariſſimorum civium manibus ſtatuas dedicandi ad ſeram perventuras poſteritatem. Non majores illuſtrioresque FRACASTORIO, amico conjunctiſſimo, viro de literis omnibus immortaliter merito, decernere honores poterat, quam eos ipſos, quibus præſtantiſſima ingenia primosque cultioris doctrinæ autores, TULLIUM, NEPOTEM, MARONEM, OVIDIUM, TACITUM, PLINIOS, CLAVDIANUM, dignos judicaverat antiquitas. Viſuntur ad hunc diem Patavii, & inſpectanti cuique admirationem movent expreſſæ eleganter eodem in lapide ANDREÆ NAUGERII & HIERONYMI FRACASTORII, nobiliſſimorum ex Venetis, imagines æneæ, Rhamnuſianæ pietatis teſtes certiſſimæ. Poſita hæc ſtatua in fornice portæ juxta pontem D. Benedicti, & aræ pervetuſtæ Inſcriptione, quam, ex ruinis Salonarum, urbis Dalmatiæ, effoſſam, in Italiam invexerant rerum antiquarum curioſi, ſcite diligenterque exornata, maximum habetur Patavini Gymnaſii decus, eximiumque præbet tam civibus, quam peregrinis, ſpectaculum. De illa THUANUS *Lib. XII. Hiſtor. ad ann. 1553. p. 576* hæc habet: *Æneæ Fracaſtorii & Andreæ Naugerii, Patritii Veneti, viri doctiſſimi, effigies ſcitiſſime expreſſæ Patavii in Benedictino fornice viſuntur, a Jo. Baptiſta Rhamnuſio, utrique amiciſſimo, poſitæ, addita antiquæ aræ pervetuſta dedicatione, ex ruinis Salonæ urbis eruta, ut, qui arcta inter ſe neceſſitudine conjuncti vixerant, & pulcherrimarum rerum ſcientias ac politiores literas adeo excoluerant, eodem in loco ſpectarentur, & a juventute Patavina univerſoque Gymnaſio cottidie ſalutarentur.* Baſis ſtatuæ, ſeu *tabula*, ut vocat FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* fuit marmorea, etſi æneæ imagines ipſæ in ſuprema baſi collocatæ. Neque in ornatu & ſplendore exter-

 no,

no, neque in arte ſua quicquam ſculptor deſiderari paſſus eſt. Statuam earum, quæ Patavii habentur, illuſtriſſimam prædicant BERNARDIN. SCARDEONIUS *Lib. II. Hiſtor. Patavin. Claſſ. 5. p. m. 107*, ANT. TEISSIERIUS in *Elog. des hom. ſav. T. I. p. 170*, JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 17*, FRANC. POLA *l. c.* & *Autor Anon. Vit. Frac. p. 9*, quorum ſinguli copioſius ea, quæ nos de ſtatua tam illuſtri diximus, ſunt perſecuti. Doleo, ipſa Inſcriptionis, in marmor inciſæ, quæ tantum habuiſſe dicitur vetuſtatis pretium, verba communicata nobiscum eſſe a ſcriptorum nemine.

(f) Laudatiſſimo exemplo univerſæ civitati Veronenſi præiverat Patavii homo privatus, JO. BAPT. RHAMNUSIUS, & honorum genus, quo proſequenda eſſet memoria civis egregii, illi velut præſcripſerat. Turpiſſimum fuiſſet, ab homine peregrino pietate in FRACASTORIUM vinci patriam, cives, cognatos, atque eos inprimis, quibus res ſuas omnes, ſtudia, labores, artemque ille conſecraverat, quosque ſibi per omnem vitam officiis obſtrinxerat vere innumeris. Itaque memoria repetentes, quicquid glorioſum unquam dignumque omni poſteritate confectum fuerat a FRACASTORIO, cives optimi, biennio poſt, quam de RHAMNUSII facto nobili fama percrebuerat, anno nempe MDLV, ſolenni Senatus urbisque univerſæ ſcito, rogante CHRISTOPHORO FRACASTORIO, Curatore urbis communi, in foro medio togatam ei & marmoream laureaque cinctam, & imagine viri ad vivum expreſſa decoratam, poſuere ſtatuam. Scriptores de ea multi commemorant, ut HENR. SALMUTHUS *ad Guid. Pancirolli Lib. II. Rerum memorab. Tit. I*, VINCENT. PARAVICINVS in *Singularibus de Viris erud. clar. p. 80*, JO. IMPERIALIS in *Muſ. Hiſt. p. 17*, GERH. JO. VOSSIVS *de Art. ac ſcient. nat. Lib. III. Cap. 64. p. m. 189*, JULIUS a PUTEO in *Elogiis Judic. Advocat. Colleg. Veron. p. 194. ſqq.* ONUPHR. PANVINIUS in *Antiqu Veron. Lib. VI*, FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* &

Autor

Autor Vitæ Frac. p. 9. & 11. Hanc, ubi Veronam acceſſeris, collocatam eodem in loco videbis, quo CATULLO olim, & C. PLINIO SECUNDO, aliisque civibus bene meritis, marmorea Senatus monumenta poſuit. Vid. VINC. PARAVICINI *Singularia l. c.* OCTAV. BOLDONII *Epigraphica Lib. II. p. 283*, POLYC. PALERMUS *de Vera C. Plinii Secundi ſuperioris patria Lib. II. Cap. 8. p. 34*, & *Lib. III. Cap. 5. p. 81. ſqq.* alii. Erecta primum in foro maximo, ſed paulo poſt translata eſt in veterem arcum lapideum urbis prope Comitium ſitum in Area, quæ Dominorum appellatur; ſi recte interpretor verba *Autoris Vitæ Frac. l. c.* qui, ſua ætate in Area illa aſſervatam, teſtatur. Ejus ſplendorem decentiſſimumque habitum conjicere licet ex artifice. Hunc *Daneſium Cataneum Carrarienſem ex Lunenſi agro* vocat, præſtantiſſimumque fuiſſe ætatis ſuæ ſtatuarium, refert idem ſcriptor *l. c.* Inſcriptionem ſtatuæ hanc addidit ONUPHR. PANVINIUS, Veronenſis:

HIER. FRACASTORIUS
PHILIPPI F.
EX PUBLICA AUCTORITATE.
ANNO M. D. LIX.

Ipſis PANVINII hoc verbis docemur in *Antiqu. Veron. l. c.* Multum ad rem præſentem facit, &, quanta olim vixerit in dignitate FRACASTORIUS, quantam poſt mortem nominis famam gloriamque conſecutus ſit, perſpicue oſtendit *Decretum* illud *Senatus Civitatisque Veronenſis pro erigenda Fracaſtorio ſtatua marmorea ſancitum;* cujus cum mihi forte fortuna copia facta ſit, pervolventi *Opera Fracaſtorii*, quæ *Venetiis apud Juntas A. 1584* prodiere, in gratiam eorum, qui editione illa ſunt deſtituti, huc illud, ut potero ex mutilato lectuque admodum difficili exemplo, transſcribam:

Exemplum ex Actis Conſiliorum magnificæ Communitatis Veronæ.

Die Jovis, poſt nonam, XXI Novembris, M. D. LV, in Camera Conſilii, in Conſilio Duodecim & Quinquaginta, præſentibus Clariſſimis Rectoribus, & magnificis Dominis Camerariis, in vocibus Quinquaginta octo.

Pro erigenda ſtatua marmorea, Excellentiſſimo Domino HIERONYMO FRACASTORIO, *Poetæ Clariſſimo, felicis memoriæ, poſita fuit Pars infra ſcripta, die XII inſtantis publicata, & nunc repetita, & capta de Ballotis XLV pro, & XIII contra. Cujus tenor eſt, videlicet.*

Ea fuit virtus & diverſarum ſcientiarum cognitio nobiliſſimi Domini HIERONYMI FRACASTORII, *Civis noſtri, ut inopinata ejus mors ingentis mœroris & luctus cauſam non ſolum nobis, & cunctis Italiæ civitatibus præbuerit, ſed etiam multis barbaris nationibus, ad quas tanti viri fama pervenerat. Ille enim Philoſophiæ, & Medicinæ peritia noſtri temporis celeberrimos homines æquavit: Humaniorum vero literarum ſcientia, & in primis Poëſi, ſicuti multos ex veteribus, ita omnes, qui poſt annos mille quingentos aliquod in eo genere ſcribendi nomen habuere, ſuperavit. Teſtatur divinum illud Syphilidis, ſive de Morbo Gallico, Poema, Heroico carmine ſcriptum: atque item Libri duo, nuncupati Joſeph, quos morte præventus abſolvere non potuit, compluresque alii luſus Poetici, qui nuperrime in lucem prodiere. Proinde cum patres noſtri eos etiam cives ſuos, qui ante humani generis redemtionem ſingulari quadam eruditione, ac ingenii ſplendore floruere, publicis monumentis, & imaginibus decorandos cenſuerint;* NOS *etiam tantum Virum, nobili genere ortum, tamque illuſtrem Poetam, quem nos ipſi aluimus, & in patriæ ſinu morientem vidimus, pari honoris & gloriæ titulo defraudare non debemus. Et ideo ad propoſitionem ſpectabilis Domini Chriſtophori Fracaſtorii, Proviſoris Communis,*

Vadit

Vadit Pars, poſita per ſpectabiles Dominos Proviſores, & Conſilium Duodecim, quod majorum noſtrorum exemplo, qui Catullum, Plinium, & reliquos Cives ſuos, qui in diverſis ſcribendi facultatibus præſtitere, ex veterum inſtituto, marmoreis imaginibus honeſtare voluerunt, erigatur ipſius Domini HIERONYMI *marmorea Statua, Poetæ habitum referens, florente circa tempora Lauro, ſupra Arcum Viæ &c. juxta ordinem reliquarum Columnarum.*

ANGELUS ZAVARISIUS,
Cancellarius Communis.

Appoſitum eſt Sigillum Civitatis, quod albæ Crucis formam repræſentat.

§. IX.

Erepto jam rebus mortalibus Fracaſtorio ſuperſtes fuit rerum præclare geſtarum gloria, & ſcriptorum ejus, (a) quæ, alio atque alio tempore edita, in omnium verſantur manibus, perennis fama. Expreſſam in illis quandam ingenii præſtantis & exquiſitæ eruditionis, qua multis aliis anteiverat longiſſime, imaginem videmus, &, ſicut in maxima usque ad hoc tempus omnium fuere admiratione, ita nemo, quantum ego ſcio, de laudibus illorum quicquam auſus eſt detrahere. (b) Scripſit autem vir immortali memoria dignus *de Homocentricis, ſive Stellis*, (c) *de Cauſis Criticorum dierum*, (d) *de Sympathia & Antipathia rerum*, (e) *de Contagionibus & contagioſis morbis, & eorum curatione*, (f) *de Vini tempe-*

 ratura,

natura, (g) haud vulgaris doctrinæ libros, elegantiſſimos etiam limatiſſimosque Dialogos, *Naugerium*, *ſive de Poëtica*, (h) *Turrium*, *ſive de Intellectione*, (i) & *Fracaſtorium*, *ſive de Anima*, (k) Carmina denique, cura & arte polita incomparabili, *Syphilin*, *ſive de morbo Gallico*, (l) *Joſephum*, (m) *Alconem*, *ſive de cura canum venaticorum*, (n) & complura alia, in libelli integri formam redacta. (o) Singula hæc ſubtilem viri maximi ſcientiam acutiſſimumque teſtantur ingenium, & magis vulgo ſunt cognita, quam, quæ poſt mortem ejus exiiſſe in lucem dicuntur, familiares ejus Epiſtolæ, (p) quæque *de Incrementis Nili* vernaculo ipſe ſermone ſcripſiſſe perhibetur ad Joannem Baptiſtam Rhamnuſium, virum civitatis Venetæ primarium. (q)

(a) Non fuiſſet profecto tanta nominis Fracaſtoriani omni tempore celebritas, niſi hoc ei decus peperiſſet ſcriptorum, quæ vulgavit vir doctus & diligens, admirabilis præſtantia. Ad quodcunque enim ſcribendi genus ſe converteret, certiſſimum ſemper egregii laboris fructum tulit, gloriam. Non, qui ſcripta ejus legit ſingula, is inter Philoſophos, Medicos, Aſtrologos, & Poetas, eosque nobiliſſimos, locum negabit FRACASTORIO. Unde nos, ſi nihil prorſus de ſcriptis FRACASTORII commemoremus jam, quicquid hactenus operæ in enarrandis viri optimi laudibus inſumſimus, inſumſiſſe fruſtra videbimur. Breviter tamen de ſingulis ſummatimque dicemus, memores inſtituti noſtri munerisque nobis impoſiti. Alia leviter tangentur, ne, quæ ſupra paſſim dicendo præcepimus, recocta ſtomachum Lectori moveant; alia

alia omittentur de induſtria, ne, quæ ſcire noſtra parum refert, in legendis illis, ſint, qui bonum otium perdidiſſe ſe querantur. Ordinem dicendorum non niſi eum delegimus, quo præivit nobis PAULUS RHAMNUSIUS in Collectione *Opp. Frac.* prelo *Juntarum* parata Venetiis anno 1584, quippe qui ſuum cuique libro, ut præſtantia ejus dignitasque tulit, dediſſe locum videtur.

(b) Spectant hæc ad ætatem FRACASTORII, non ad poſteriora tempora, ubi cum præclara ceperit incrementa literarum honor, & Philoſophiam inprimis artemque ſalutarem ſordibus ſuis purgarint incredibili labore maxima quæque ingenia, non potuit non ſagaciorum interdum reprehenſionem incurrere FRACASTORIUS, utpote qui non ita omnes in quavis diſciplina recte ſentiendi difficultates, graviſſimas ſane ac fere innumerabiles, eluctari potuit, ut non barbara ſæpius veterum veſtigia cum reliquis ex vulgo presſerit, & ad ſui ſe ingenium ſeculi accommodaverit. Neque tamen, qui ex inſtituto famam FRACASTORII oppugnatum iverit noſtra ætate, ſcriptisque proſcindere contumelioſis auſus ſit, quenquam ſcio, etſi inficiari haudquaquam poſſim, argumentationes Ariſtotelicas, quibus haud raro uſus eſt Noſter in ſcriptione Philoſophica, ad palatum fuiſſe paucis noſtrorum hominum, quibus nihil eſt cum priſci ævi tricis illis commercii.

(c) Recte factum eſt a PAULO RHAMNUSIO, quod in *Opp. Frac.* junctim editis primo loco collocavit *Homocentricorum*, *ſive de Stellis* Opus FRACASTORII, tam argumenti dignitate, quam diligentia & artificio ſcribentis commendatiſſimum. Maturioris ætatis labor eſt, ut patet ex libri hujus *Sect. III. Cap. 6*, ubi Chronologicis occupatus computationibus, annum, qui agebatur tunc, cum hæc ſcriberet, dicit MDXXXV. Ætatis igitur anno ſecundo & quinquageſimo hunc laborem ſuſceperit, neceſſe eſt. Abſolutum vero libellum eo tempore, quo rerum ſacrarum ſumma delata fuerat

Paulo

Paulo III, iterum nos docet FRACASTORIUS in Præfatione libri, Paulo huic honoris cauſa inſcripta. Autor ſuaſorque ei, ut ad hoc ſcribendi negotium ſe converteret, TURRIANUS fuit moriens, qui cum, fruſtra futurum, quicquid ipſe de Homocentricis novisque binis ſtellarum motibus meditatus diu fuerat, probe intelligeret, niſi aſtrorum peritus aliquis manum admoveret ultimamque limam adhiberet operi, a FRACASTORIO, cujus doctrina & ingenium præclara multa promittebat ipſi, ſuis facile impetravit precibus, ut, negotium demandatum celeriter ſe ex ſententia ejus confecturum, ipſi lubens ille reciperet, & in hanc cogitationem tota mente incumberet. Acceſſit huc graviſſimum Giberti, Epiſcopi Veronenſis, conſilium, qui, TURRIANI ſui amantiſſimus, nulla re magis ejus conſervari poſſe memoriam putabat, quam ſi protracta e tenebris feliciſſima ejus inventa, in luce ponerentur publica, & in orbis eruditi venirent conſpectum. Cujus cum plurimum valeret penes FRACASTORIUM autoritas, factum eſt, ut hic non ſolum alacriore animo rem cœptam perficeret, ſed ipſum etiam opus, curis ultimis jam abſolutum, ſacrum ei eſſe cuperet, & nomine ejus in fronte ornatum mittere ad eum deſtinaret. At hujus propoſiti certior factus Gibertus, negavit, id ſibi deberi muneris, ſed hortatus eſt FRACASTORIUM, Paulo potius, novo Pontifici, hunc haberet honorem, & ſub ejus, tanquam rerum cæleſtium arbitri, auſpiciis novum *de Stellis* opus in lucem proferret. Plenius cognoſci hæc poſſunt ex FRACASTORII *Præfat. Homocentr.* & MARC. ANT. FLAMINII *Paraphraſi in Lib. XII. Ariſt. de prima Philoſ. p. m. 45.* Literæ, quibus hunc Paulo librum dedicavit FRACASTORIUS, ſi dicendi genus ſpectes, graves ſunt & elegantes, ſi rem ipſam & ſententias, animi ad adulandum compoſiti teſtes certiſſimæ. Vid. quæ de illis diximus §. *VI. n. (bb).* Si fides habenda *Autoribus Diar. Eſſais de Lit. 1702. Menſ. Nov. p. 288*, liber hic cum altero *de Cauſis Criti-*

corum

corum dierum, cura PETRI BEMBI, primum prodiit *Venetiis anno 1538.* Tractandi modum in hoc *ſummæ eruditionis libro*, ut dicitur *Autori Vitæ Frac. p.* 7, eum ſervavit FRACASTORIUS, *ut in ſingulis* (ſunt hæc ipſius verba Autoris in *Cap. I. prælim. huj. Op.*) *ante omnia proponeret, quæcunque apparent, quæque obſervata traduntur; mox, quo pacto alii ea oſtendere conati ſint; tum demum, quo pacto eadem ipſi demonſtranda videantur per ea principia, quæ haud ita pridem inventa fuerant a Turriano.* Tribus Opus omne Sectionibus diſtinguitur, quarum prima Autor certa quædam & vulgo cognita de ſphæris ſtellarum fundamenti loco principia ponit, & de motu orbium cæleſtium generatim agit; altera ad ea, quæ in cæli, ex omni parte patentis atque aperti, immenſis luminibus dudum obſervata ſunt Aſtronomis, PTOLEMÆO inprimis atque HIPPARCHO, quos *neque falli, neque fallere natos* dicit *Cap. I*, progreditur, &, enumeratis ſiderum motibus diverſis, ſigillatim, quæ circa ſidera nobiliora, Aplanen, Saturnum, Jovem, atque Martem apparent, explicat; tertia denique de Solis, ſupremi velut Planetarum Regis, admirandis converſionibus, & motu inæquali, hujusque cauſis, de dierum tam naturalium, quam civilium, diverſitate, de æqualitate horarum & inæqualitate, de diverſa annorum menſura, porro de Veneris, Mercurii & Lunæ naturali motu diligenter disquirit, ac poſtremo veterum, EUDOXI & CALLIPPI, de univerſa cæli œconomia, & eorum, qui orbes eccentricos & Epicyclos quosdam infelici ingenio confinxerant, ſententias rationibus refellit conquiſitis undequaque, & a vulgi ſenſu remotiſſimis. Breviter hæc indicaſſe ſufficiat. Plura de rerum ſublimiorum, quibus ſcatet liber iſte, delectu, tam noſtris, quam FLAMINII, verbis diximus ſupra §. *V. not. (b).* Unum hoc addimus, media inter carmina cantusque finem Operi impoſitum, &, dimiſſa Urania, ad Calliopen redire FRACASTORIUM, politisque numeris non ſuo minus libello, quam memoriæ inprimis Turrianæ augurari æternitatem. Ad vete-

rem conſecrationis ritum referas, quæ ad TURRIANUM Poeta:

Tuque etiam, ſeu te tua tanta inventa, novosque
Admirantem orbes, puro fulgentia cælo
Templa tenent, ſeu Threïciæ teſtudinis audens
Tangere ebur, plectris numeros, & carmina dictas,
Qua via ſidereo candeſcit lactea cælo,
TURRI ades; inventisque tuis, noſtroque labori
Da, ſancte, augurium atque optatis annue noſtris.

Ceterum illud ſe aſſecutum hoc labore, libere profitetur ipſe ſub finem *Præf. Homoc.* ut *priori Aſtronomiæ lux quædam aditusque perfacilis ſit per hæc adjectus, & longe minus unusquisque in Homocentricis*, ab ipſo prolatis, *ſit laboraturus, quam in Eccentricis aliorum.*

(d) Ex *Homocentricorum* Opere Aſtronomum, ex illo *de Cauſis criticorum dierum* Medicum cognoſcimus. Exiguæ molis libellus iſte, ſed qui argumenti gravitate & doctrina multiplice in præſtantiſſimis habendus. Diximus de eo quædam ſuperiore §. *IV. not. (i)*. Agit hic FRACASTORIUS de diebus illis, qui ægrotantibus cumprimis ſolent eſſe fatales, & ob criſes, quibus a reliquis diebus diſtinguuntur, vehementiſſimas Critici vocantur Medicis. Horum cauſas certo definire auſus antehac nemo fuerat. Diverſis diverſa placuere ingeniis. Pythagoræorum alia, alia Philoſophorum, alia denique Aſtronomorum fuerat ſententia. Illorum quidem, qui, manifeſto luſu ingenii, criticorum dierum cauſas in Deorum & naturæ, certo quodam ſemper numero delectantis, arbitrio quæſivere; Philoſophorum, qui ſolo id caſu contingere perſuaſum habuerunt, ut dies alius alio terribilior funeſtiorque ſit; Aſtronomorum demum, qui ad varium, nunc leniorem, nunc atrociorem multo, ſiderum in corpora humana impetum referri, quicquid illarum in morbis criſium ſit, optime poſſe ſomniaverant. His ipſis, mirum eſt, tam pertinaciter adhæſiſſe veterum Medicorum turbam, & in his GALENUM inprimis cum ſuis ſectatoribus, ut *Sophiſtas vocaret, & conviciis male-*

maledictisque proſequeretur Galenus, ſi qui ratione ulla malint hanc rem inquirere, quam minime Aſtrologis credere, præcipue Ægyptiis, qui aſſeveranter hæc a Luna fieri affirmarent, quæ verba ſunt FRACASTORII in *Præf. huj. Op.* Noſter adeo, muneris id ſui ratus, ut in hujus rei cognitionem, in qua verſari Medicus poteſt feliciſſime, penitus ſe abderet, turpe judicavit, ignorantiae quandam ſibi ipſi neceſſitatem imponere, & viciſſitudinum in morbis cauſas, humano corpori congenitas, a longinquis aſtrorum regionibus arceſſere. Exquiſitiſſimis igitur adductus rationibus, & diligenti inquiſitione longaque confirmatus experientia, ut ipſe docet in *Præf. & ſub finem Libri*, non potuit, quin, neglectis plane Pythagoræ ſcholæ & Philoſophorum commentis, ab ipſo *parente Medicinæ Galeno*, (ſunt hæc verba ejus *ſub finem Operis,*) *quem in reliquis ut Deum veneratus eſt & coluit, hac una in re diſcederet*, & omne morborum intervallum, omne incrementum & decrementum, ex natura humani corporis, & vehementiæ, qua furit morbus quisque, gradibus cognoſci poſſe, graviſſimis & prorſus invictis argumentis oſtenderet, tanto laudabiliore quidem conſilio, quanto certius, maximum ea in re ſcientiae Medicæ momentum verti, ipſe dudum intellexerat. Id enim, ſi in ſententiæ ſuæ veritatem curatius inquirerent Medici, impetraturum ſe confidebat, ut in omnibus morbis futuros dierum progreſſus, & quid quoquo tempore ſperandum aut ſubeundum ægrotanti ſit, quilibet Medicorum prænoſcere, & ſalutari adeo medicina ad ſuperandos omnes morbi impetus corpus ægrotantis præparare poſſet. Hanc ipſam vero *contemplationem atque artem negligentis Medici non eſſe, aut ad lucrum evolantis, ſed ſolertis, & amantis Philoſophiam*, vere ſapienterque judicat *Cap. 15. huj. Op.* De libri pretio & rationum, quibus ſententiæ novæ robur addidit, dignitate exiſtimare, non tam noſtrum eſt, quam eorum potius, qui in his literis verſantur, & graviore pollent judicio.

(e) *De Sympathia & Antipathia rerum* librum unum pro-

 dromi

dromi inſtar tribus *de Contagione* libris præmiſit. Acturus enim de morbis, qui contagioſi perhibentur, haudquaquam illa de conſenſu & diſſenſu rerum disquiſitione poterat ſuperſedere. Itaque, ſi rerum ac dictorum nexum, quo connectitur utrumque Opus, conſideres, conjungendos potius libellos hosce in unius libri formam, quam ſeparandos, dicas. Atque hæc ipſa FRACASTORII fuiſſe mens videtur. Primi enim *de contagione* libri tale eſt initium, quale non niſi libri, ſubſequentis librum, eſſe ſolet: *Nunc autem de Contagione proſequamur*, &c. neque illi Operi præmiſſa eſt, niſi quæ in fronte libri *de Sympathia* legitur, Præfatio, qua ipſa utriusque Operis ſcribendi conſilium exponitur, & utrumque Alexandro Farneſio, Cardinali ampliſſimo, ſacrum offertur. Placuit tamen ſive Autori, ſive Editori, neſcio cui, ſuum Operi cuique nomen imponere ſingulare ac diverſum, & uno alterum, alterum tribus, ut videmus, libris abſolvere. Ad ſcribendos libellos hoſce ætate jam præcipitata & plane ſenex ſe convertit Noſter, ſi qua fides habenda *Autori Vitæ Frac. p. 7.* Nihil ea de re conſtare nobis ex Præfatione FRACASTORII poteſt, niſi quod *ſerius*, *quam voluerat, negotiis variis impeditus, confectum* a ſe dicat hoc ſcribendi negotium. Literæ ad Alexandrum Farneſium, libro præmiſſæ, prolixæ ſunt in laudibus Alexandri, multumque ſuavitatis habent, memoratæ nobis ſupra §. *VI. not. (z).* Fatendum eſt autem, opus arduum ac difficilis laboris his ipſis libellis ſuſceptum a FRACASTORIO, quod præcurſores in his argumentis pertractandis pauciſſimos, duces haberet prorſus nullos. Nam quæ de Sympathia & Antipathia rerum ſcripta a ſe refert GALENUS, nunquam videre lucem, certe cum poſteris communicata non ſunt. De Contagionibus vero etſi quædam legantur in ſcriptis HIPPOCRATIS; alia tamen omnia is ipſe, quam contagionum naturam, docuit. Diligentiores quidem ea in re GALENUS, PAULUS ÆGINETA, AETIUS AMIDENUS, atque alii Medicorum veterum; at, qui ſcripta eorum legit, multa, videt, ſequentium ſeculorum induſtriæ reliquiſſe eos indaganda. Recentio-

centioris autem ætatis Medici, dum ab occulta quadam proprietate provenire dixerant, quicquid ſit morbi peſtilentioris, re ipſa, nihil ſe ſcire de contagionum natura, profeſſi ſunt. Itaque, ne exprobrare quis poſſet arti medicæ hanc maculam, quaſi de multis morborum generibus dubia valde & inexplorata res eſſet, in ſcrutandis eruendisque contagionum cauſis deſudandum ſibi duxit, & quamvis nullo labore illud aſſecuturum ſe cerneret, ut in ipſa morbi viſcera penetrare, cauſasque definire poſſet proximas & morbo proprias, ſatis tamen a ſe præſtitum iri ſperabat, ſi medias ſaltem explicaret cauſas, non e longinquo adeo petitas, ſed quarum cognitione ad faciliorem remediorum inventionem via parari poſſet Medico. Egit vero, ut vel libri ſummam ſcias, illud inprimis Noſter, ut rerum omnium, quas gignit natura, primum vel conſenſionem vel diſſidium & certamen quoddam inveſtigaret, tum, *quæ in univerſum natura contagionum ſit, & quo principio efficiant, & quo pacto gignantur, & cur aliæ fomitem relinquant, aliæ ad diſtans etiam ſeſe propagent, & morborum cur alii contagioſi ſint, leniores, mitioresque exiſtentes, alii minime contagioſi, acerbiores, ardentioresque multo cum ſint, & quo a venenis contagio differat, & ejusmodi alia multa*, depromtis ex Philoſophia & natura rerum argumentis ediſſereret. Inſtituti ſui rationem Autor in *Præfatione* reddidit prolixiorem. Reliqua legentium permittimus judicio. Non enim jam vacat nobis, Opus integrum percurrere, &, ad vivum reſecando omnia, de ſingulorum pretio decernere. Pertinent huc eorum multa, quorum mentionem fecimus §. *IV. not. h, k, & l.* Librum *de Sympathia* abſolvere *Capitum XXIII* complexu deſtinaverat FRACASTORIUS; hæc ipſa vero cum jam prelo parata in manus veniſſent JO. BAPTISTÆ RHAMNUSII, Illuſtriſſimo Decemvirorum Conſilio Senatus Veneti a Secretis, quo amico utebatur FRACASTORIUS, isque dubia nonnulla literis perſcripſiſſet ad FRACASTORIUM, & novas quasdam tam ſympathias quam antipathias protuliſſet in medium, factum eſt,

 ut

ut libello ſuo Noſter *Caput* integrum adjiceret Appendicis loco, quo ſuos RHAMNUSIO ſcrupulos exemit, & fortioribus dicta ſua argumentis confirmavit. Ad calcem libri *de Contagionibus* adjectum eſt carmen compoſitiſſimum, laudibus deſtinatum Alexandri Farneſii, Purpurati, in cujus clientelam ſe muſasque ſuas tradit Autor, quemque benignum ac faventem Operi ſuo judicem expoſcit.

(f) Rubro libri hæc inſcripſit FRACASTORIUS: *De Contagionibus & contagioſis morbis, & eorum curatione.* Si jungas ei librum *de Sympathia*, non eſt molis adeo exiguæ. Eorum certe, quos ſcripſit FRACASTORIUS, non dubito, quin ſit copioſiſſimus. Maximum hic doctrinæ apparatum & rerum optimarum jucundam varietatem mireris. De Opere doctiſſimo, quantum ſcire Lectorum intereſt, diximus *ſub not. præced. (e)*.

(g) Opuſculum *de Vini temperatura*, melioris ordinis cauſa, ne ſcripta divellerentur medica, Dialogis FRACASTORII præmiſi; etſi poſt Dialogos demum collocatum ſit a PAULO RHAMNUSIO in Editione *Opp. Fracaſt.* Veneta. Molis libellus tam parvæ eſt, ut vix ac ne vix quidem libelli nomen mereatur. Neque ipſe ei FRACASTORIUS libri nomen dedit, ſed, ſimpliciſſimo vocabulo, *de Vini temperatura ſententiam* inſcripſit. Forte nec in lucem prodiit ante, quam ſcriptis Autoris reliquis jungeretur. *Capita*, ut vides, decem & unum, eademque parum diffuſa, omnem laborem conficiunt. Ampliſſimam ejus mentionem feci *ſupra* §. *IV. not. (n)*, unde haurire aliquam, ſi velit, Lector poterit notitiam. Tulit hanc de Vino ſententiam FRACASTORIUS, pro autoritate a litigantibus ſibi conceſſa, *anno 1534, die IX Septembris, Prætore Clariſſimo Joanne Contareno*, ut ex ſubſcriptione ſententiæ manifeſto apparet. ANT. FUMANELLI & BARTH. GAJONI, Medicorum Veronenſium, honor agebatur, de Vini natura controverſiam diu & magna animorum contentione diſceptantium. Delata tandem ad arbitros cauſa eſt. *Invitus in his coactusque*, ut patet

ex

ex verbis ejus *Cap. I. huj. Op.* FRACASTORIUS fecit arbitrium, &, penſitatis, quibus uterque cauſam ſuam muniret, rationibus, eam, quam FUMANELLUS propugnaverat, ſententiam fortiorem verioremque altera GAJONI pronunciavit, atque calorem ſiccitatemque ineſſe vini liquoribus, vocata in teſtimonium experientia, non minus GAJONO, quam peritis quibusque harum rerum æſtimatoribus, luculenter oſtendit. Latius hæc omnia perſecuti ſumus *l. c.* Qui rerum phyſicarum cognitione delectatur, & vini in corpore humano effectus varios, ac varia vinorum genera, hisque utendi leges noſſe cupit, is, quæ ſatisfaciant ipſius expectationi, & legi cum fructu poſſint, hic bene multa inveniet. Libellum claudit *Vetus Epigramma* Autoris incogniti:

Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodiit, inventum ſub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa eſt,
Sejunctus quod ſit ignis, & urat adhuc.

(h) Dialogos FRACASTORIUS ſcripſit tres, alterum *de Poetica, de Intellectione* alterum, tertium *de Anima.* Singulis nomina eorum inſcripſit, qui maximam colloquii ſibi partem vindicant. De poetica NAUGERIUS, de Intellectione TURRIANUS, de Anima FRACASTORIUS ſermonem habuit. Dialogis *de Poetica* & *de Intellectione* continentur ea, quæ in Baldi ſeceſſibus, illo *de Anima*, quæ in Caphiis, prædiolo FRACASTORII, fuerant propoſita. Singulos a FRACASTORIO jam ſene concinnatos puto, ea ductus ratione, quod tertio *de Anima* Dialogo, morte præventus, ne finem quidem imponere potuit. Primas tamen Dialogorum lineas jam multos annos ante duxerat, eo, ni fallor, tempore, quo ex congreſſibus amicorum domum reverſus, facile in memoriam revocare ea omnia poterat, quæ ex ore NAUGERII, TURRIANI, atque aliorum, ipſe de literis & ſelectiori doctrina haud ita pridem acceperat. Generatim quædam in his Dialogis reprehendimus *ſupra §. V. not. (d).* Dubitare quis poſſet, utrum

ita

ita re vera prolata ſint omnia a NAUGERIO & TURRIANO, ſicut enarrantur a FRACASTORIO. Non enim ita in familiari congreſſu cogitate omnia & velut a docente dici ſolent. Multa certe ex ſuo FRACASTORIUS ingenio addiderit, neceſſe eſt. Neque certe tantum ſcribendis illis laborem inſumturus videbatur, niſi ad ſe potius, quam ad alios quosque, illius rei laudem redundare voluiſſet. In LUCIANI ſi quid belle & eleganter dictum eſt Dialogis, nemo *Menippum* laudat aut *Diogenem*, omnes LUCIANO applaudimus. Idem ſibi jus poſcit FRACASTORIUS, in hoc ſcribendi genere LUCIANI aut PLATONIS æmulatus, neſcio an aſſecutus, gloriam. Ea eſt Dialogi ratio, ut ſermones conferri a multis putes, unus ſit, qui docentis & audientis, interrogantis & reſpondentis perſonam ſuſtineat. Nolim vero, eam in rem teſtis citetur ipſe FRACASTORIUS; etſi ex hujus in *Præf. Dial. de Poet.* cognoſcere verbis liceat, ad edendos hosce Dialogos eo ipſum conſilio converſum, *ut tantorum amicorum memoriam, quantum poſſet, ab oblivione defenderet, & ut viva etiam illa faceret, quæ ipſi nullis ſcriptis mandata, ſed ore tantum emiſſa reliquerant.* Ejus enim, memineris, verba eſſe, qui Dialogum ſcribere, hoc eſt, perſuadere Lectoribus in animo habebat, dicta hæc aliorum, non ſua, eſſe. Lectoribus vero perſuadere hæc voluit non niſi intelligentibus, iis nempe, qui diſſimulanter omnia, & obducto quaſi velo dici noſſent in Dialogo. Quicquid hujus rei ſit, placuit fratribus VULPIIS, qui Patavii in magna laude vivunt, Dialogum FRACASTORII, quem *Naugerium* inſcripſit, adjicere *Operibus Naugerii*, quæ cura ipſorum prodiere *Patavii anno 1718*; idque factum ea de cauſa putat PETRUS NICERONIUS, haud vulgaris eruditionis Gallus, in *Memoires pour ſervir a l'hiſt. des hom. illuſt. T. XIII. p. 372*, quod multum ad famam NAUGERII conferret liber ille, & ingenii, quod præclarum in eo fuit, teſtimonium præberet certiſſimum. Suum viro acutiſſimo judicium relinquo. Forte aliis aliter videtur. Sunt, quos Dialogi hujus ita decepit inſcriptio, ut autorem ejus

ipſum

ipſum crederent NAUGERIUM, & *Operibus Fracaſtorii* aliquid, quod eſſet NAUGERII, adjectum putarent. Errorem hunc animadvertiſſe mihi videor in *Catalogo Bibliothecæ Heinſianæ p. 175*, ubi vulgarem *Operum Fracaſtorii* editionem Venetam hunc in modum inſcriptam legas: *Hieronymi Fracaſtorii Opera omnia; item Andr. Naugerii Orationes duæ, & Carmina. Venet. 1555.* Reviſos & in ordinem redactos in Caphiis eſſe hos Dialogos, idque factum ſuaſu JO. BAPTISTÆ RHAMNUSII a FRACASTORIO ætate jam ſatis provecto, docemur ex *Præfat. Dial. de Poet.* unde & illud diſcimus, eidem RHAMNUSIO, ut hujus cura in lucem prodirent, miſſos a FRACASTORIO libellos hoſce, eidemque honoris cauſa inſcriptos. In Dialogo *de Poetica* ſermones conferunt ANDR. NAUGERIUS & JO. JAC. BARDULO. Huic requirendi & interpellandi, illi reſpondendi & explicandi contigit provincia. Lectu ſuavior libellus in principio videtur, quam in progreſſu. Jucunda ſatis eorum, quæ geſta inter amicos FRACASTORII in Caphiis, antequam colloquii eruditi facerent initium, narratio. At in ipſis ſermonibus, quos inprimis decebat lepor quidam & feſtivitas, arida & moroſa verborum aſperitas rerumque inopportuna ſubtilitas exigua voluptate animos legentium perfundit. Unde nec fallitur judicio ſuo ADR. BAILLETUS, genus hoc ſcribendi in Dialogo exſuccum nimis nimisque jejunum vocans in *Jug. des Sav. T. III. P. I. p. 149. ed. nov.* Ceterum, quæ de arte Poetica hic diſputantur a NAUGERIO, ſunt quidem ingenio illo digniſſima, ſed laborant interdum obſcuritate quadam, atque ita ſunt comparata plane, ut noſtro ſeculo, quod merito Apollineum dixeris, & quo tanta exſtant maximorum virorum de Poeticis ſtudiis merita, carere iis poſſe videamur quam facillime; ut recte monuit idem BAILLETUS *l. c.* Dictorum huc maxime redit ſumma, in eo potius verſari Poetæ partes, ut doctrina imbuat lectores per imitationem, quam ut delectet & permulceat. Quæ cum per ſe non poſſit non placere cuilibet poetices apprime gnaro ſen-

tentia; rationibus etiam confirmata eſt ejusmodi, quæ legentium deſiderio omni ex parte poſſint ſatisfacere. Conferat, velim, cum his Lector, quæ ſupra memorata a nobis ſunt §. *V. not. (e)*, & §. *VI. not. (c)*, quæque profert JAC. BURCKHARDUS *in Medico human. ſtud. vind. p. 6.*

(i) Alter Dialogorum, quem *Turrianum, ſive de Intellectione* inſcripſit Noſter, nihil minus dici, quam Dialogus, meretur. Libris diſtinguitur duobus; nec per immenſum illud ſpatium, præter TURRIANUM, quisquam vocem emittit. Idem erit, ſive TURRIANUM hunc docentem in Dialogo de intellectus humani viribus, ſive veterum Philoſophorum aliquem rugoſa fronte explicantem divinioris ſapientiæ præcepta audias. Unus eſt, qui ſecum ipſe ſermones miſceat, TURRIANUS, ne ſemel quidem, ſi recte memini, interpellatus a quoquam. Omnia poſthac erunt Dialogi, ſi hoc eſt Dialogus. Nec minus reliqua, quæcunque hic dicta ſunt, a natura colloquentium abhorrent. Quis enim hic loci tantos definitionum, diſtinctionum, & explicationum quærat cumulos, quis conquiſitis undique & ad nauſeam propinatis exemplis delectetur, quis denique figuras illas Mathematicas, elegantes parum, non averſante oculo intueatur? Nihil eorum, ut ego quidem arbitror, Dialogum decebat. Et ſane, cum in reliquis Philoſophus noſter tam moroſus & auſterus eſſet, parum addere ſermonibus illis condimenti videbantur inexpectati cantus pueruli, & admixti cithararum ſtrepitus, tantum accommodati ad decus gratiamque *Turriani*, quantum organa muſica ad ſuavitatem ejus, qui ex ſuggeſtu ſacro verba facit inepta, impolita, languida. Præſtabat, meo judicio, in argumento per ſe gravi & inamœno uti ſcribendi genere ejusmodi, quod eſſet omnino illi proprium & plane philoſophicum, quam in poetica ſcribendi ratione torpere ac vigore omni deficere, officioque ſuo male perfungi. Uberiorem hujus Dialogi mentionem fecimus §. *V. huj. Comment. not. (a)*.

(k) In Dialogo *de Anima* ſuas ipſe FRACASTORIUS ſenten-

tentias expromit, & tam generatim de anima quacunque, quæ vitam & calorem præbet animantibus, quam de ea inprimis, quæ humano generi eſt propria, ejusque excellentia & immortalitate, coram amicis, NAUGERIO, BARDULONE, & TURRIANIS, diligenter audientibus, erudite disquirit. Unde & ſuum ipſe Dialogo nomen inſcripſit, dixitque *Fracaſtorium*. Propius ad Dialogi naturam accedit libellus hic, quam *Turrianus* ille, & opportunæ ſunt quæſtiones RHAIMUNDI TURRIANI, quem comitem ſibi in his ſermonibus delegit Noſter, opportunæ etiam, quæ ſubjectæ ſunt quæſtionibus, reſponſiones FRACASTORII. Quæ in fronte Dialogi legitur, Præfatio ad eundem directa eſt RHAMNUSIUM, cui inſcripti ſunt bini *de Poetica & de Intellectione* Dialogi. Principia & rationes, quibus hic dicta ſua præfulcit Noſter & confirmat, maximam quidem partem ſunt Ariſtotelicæ; haud parum tamen ſimul roboris habent ab ingenio FRACASTORII; dolendumque hinc, interveniente Autoris morte, laborem hunc ad finem haud perductum. Id quod verba teſtantur, ſub finem Dialogi manu editoris adjecta: *Morte præventus MDLIII, octavo Idus Augusti, atque ad ipſam accitus immortalitatem, quod ſero inceperat, abſolvere non potuit.* Vid. quæ diximus de iſta FRACASTORII opella aptiore loco ſupra §. *V. not. (a)*.

(l) Primum inter carmina FRACASTORII merito locum tenet *Syphilis* ejus, ſive *de Morbo Gallico* miræ venuſtatis poema, libris tribus ad PETRUM BEMBUM, Leoni X, Pontifici maximo, a ſecretis, perſcriptum. Cujus cum copioſe expoſitæ a me laudes fuerint ſupra §. *V. not. (h)*; earum hic commemoratione prorſus abſtinebo. Dicam ſaltem, quæ carmen hoc ſpectant, quæque ſupra neglecta, prætermitti hic loci non poſſunt, pauciſſima. Nomen carmini haud peregre accitum, quippe notiſſimum in Medicorum officinis, & morbo Gallico plane proprium. Sunt, qui tractam *Syphilidi* appellationem velut ex Græcorum συμφιλία putent, quam amoris conjunctionem interpretari, morbi fontem, poſſis. Alienus longe ab il-

 lorum

lorum opinione, poeticam Poeta noſter voci originem tribuit, *Syphilum*, paſtorem quendam, *Syphilidis*, infauſtæ prolis, quaſi parentem perhibens. Si quid elegantiæ & ſuavitatis habet *Syphilis* FRACASTORII præ reliquis, quæ condidit, carminibus, præcipuam illius rei cauſam hanc puto, quod ejus ætatis labor fuit, qua Phœbi maxime per venas flammæ fervent, & ardentiſſimo amore bonam Muſam, Calliopen, complectimur. Ipſius enim FRACASTORII *Lib. III. de Morb. Contag. cura Cap. 10* teſtimonio compertum habeo, ſcriptum hoc ab ipſo carmen, *cum eſſet* adhuc *junior*, *ac*, *civitate peſtilentia gravi vexata*, *in Caphios* ſuos *ſeceſſiſſet*, *ubi ad eam rem otii multum dabatur.* Idem teſtatur *Autor Vitæ Frac. p. 6.* Fuere, quos male haberet cumprimis, monſtro morbi tam putido tamque deformi obtigiſſe honoris tantum, ut, protractum e tenebris ſordibusque ſuis, & e Medicorum invenuſtis manibus ereptum, Muſis tractandum daretur elegantioribus, pulcherrimisque Parnaſſi floribus ornandum. Fuit in eorum, qui impatientiſſime id ferrent, numero PETRUS BÆLIUS, acutiſſimi ingenii Gallus, a cujus in reprehendendo non tam ſalibus, quam aculeis, pauci olim fuerunt, qui ſatis cavere ſibi potuerint. Atram bilem ſapiunt, quæ eructavit ille in *Nouvelles de la Rep. des let. de l' ann. 1687. menſ. Febr.* Si multum, inquit, lucri partum fuiſſet FRACASTORIO ex cura hominum, qui laborabant Syphili, dicendum omnino foret, voluiſſe eum morbo tam quæſtuoſo grati animi monumentum ſtatuere, debitamque carmine mercedem ſolvere, & comparandus ipſe foret cum Chirurgo illo, qui objurgatus aliquando, quod genubus ſubmiſſis veneraretur ſtatuam Caroli VIII, Gallicorum Regis, recte ſe agere, reſpondit, nec ulli eorum, qui pro Sanctis habentur vulgo, tantum a ſe deferri honoris, quantum Principi, qui expeditione militum ſuorum, in terras ſuſcepta Neapolitanas, Chirurgorum artem longe effecerit lucroſiſſimam. Acerbe ſatis & contemtim; ſed forte non ita æquiores judices. Effoetum ſit argumentum carminis; non id poteris ut probrum objicere poetæ, niſi,

tale

tale eſſe carmen ipſum, oſtenderis. Omnia canere poetæ licet; modo dulce canat atque molliter. Idque præſtitum a FRACASTORIO, intelligentiores agnoſcunt. Res ipſas vero, quæ argumentum dedere carmini, quod attinet, ut conſtare de illis poſſit Lectori noſtro, præcipua illarum momenta verbis commemorabo CONR. GESNERI, Medici egregii, qui breviorem univerſi carminis conſpectum nobis dedit in *Bibliotheca Univerſali p.328. A. Sunt*, inquit, in Carmine *Fracaſtorii hæc præcipua, hoc ordine explicata. De morbi Gallici origine. De Accidentibus ejus. Quod facilius curetur morbus, qui cauſam in ſanguine habet, difficillime, qui in atra bile. Aer qui conveniat, quæ exercitia. De ſudore. Somnus & otium noxia. Victus ratio. Venæ inciſio. Humorum attenuatio. Purgatio. Medicamina mitiora. Aquæ deſtillatæ, ut vocant. Anodyna. Ad faucium exulcerationes. Papularum cura in genere. Suffitus acris. De argento vivo plurima. Unguen dia Hydrargyru. Ad oris ulcuſcula. Corporis reſtituti luſtratio. Guajaci arboris deſcriptio. Guajaci remedia.* Plenius hæc ornatiusque decantata, cui volupe eſt, in ipſo legat carmine. Sciat tamen, plura hic, ob legum poeticarum rigorem nimium, ut ipſe dolet *Lib. III. de Morb. Contag. Cap. 10*, a FRACASTORIO neglecta, quæ ſoluta oratione copioſius enucleatiusque deinde perſecutus eſt in *Op. de Morb. Contag. Lib. II. & III.* Glorioſum maxime hujus carminis autori eſt, quod Gallicis numeris redditum eleganter eſt a PETRO LÆTO, Juliodunenſi Medico, & Poeta percelebri; ut conſtat teſtimonio SCÆV. SAMMARTHANI in *Elog. Gallorum doctrina illuſt. ſub Læto*, FRANC. POLÆ in *Elog. Frac. l. c.* & *Autorum Diar. Eſſais de Liter. an. 1702. menſ. Nov. p. 288*, quibus ſane majores haberemus gratias, ſi, quæ de egregio hoc, ut vocant, labore ipſis fuere adhuc cognita, de iis ipſis eodem in loco nos feciſſent certiores. Numeris translatum carmen ejusmodi, *qui auctoris majeſtatem Maroniani proximam referrent*, dicit *l. c.* SAMMARTHANUS.

(m) *Syphilin Joſephus* FRACASTORII tam ordine in

Opp. ejus, quam dignitate, ſequitur. Joſephi, Regis Ægyptiorum vicarii, hiſtoriam omnem verſibus enarrandam ſuſceperat Poeta; ſed, ſubita præventus morte, deſtinata perficere non potuit. Unde in medio hiſtoriæ curſu filum carminis abruptum cernimus. Illud tamen ante mortem aſſecutus eſt Noſter, ut hiſtoriæ partem eam, quæ ſuavitatis haberet plurimum, abſolveret. Et ſic ſatis compoſitum videri poterat carmen, duobus diſtinctum libris prolixioribus. Nobilem, interjecto aliquo tempore, huic carmini FRANC. LUISINIUS, non inconcinnus poeta, addidiſſe appendicem, coeptamque FRACASTORII pertexuiſſe telam dicitur FRANC. POLÆ *l. c.* Cujus rei fides ſit penes Autorem. Nihil enim, fateor, de eo compertum aliunde habeo. In Caphiis conditum *Joſephum*, teſtatur FRANC. POLA in *Elog. Frac. l. c.* Dedicatum eſt carmen Alexandro Farneſio, Purpurato, hujusque ſcriptum videtur juſſu; quod alibi a me dictum memini. Decantata ſunt hoc carmine, ut facile apparet, quæcunque nos docent decem poſtrema *Capita Geneſeos*. Monet id FRANC. SIXTUS SENENSIS in *Biblioth. Sancta Lib. IV. p. 300.* Manifeſtus igitur THOMÆ POPE BLOUNT in *Cenſura celeb. Aut. p. 410*, & ANT. TEISSIERII in *Elog. des hom. Sav. T. I. p. 178* error eſt, præter *Joſephum*, carmen ampliſſimum, alia *ſuper Geneſin Carmina* a FRACASTORIO conſcripta perhibentium. Nihil mihi de illis, nec ex *Opp.* FRACASTORII, nec aliunde, conſtat. Neque hariolando aſſequor, unde factum, ut idem POPE BLOUNT *l. c.* & cum eo TEISSIERIUS *l. c.* & LUD. MORERIUS in *Grand Diction. T. II. p. 541*, carmen hoc dicerent *Comœdiam*; cum re ipſa nihil ſit minus, quam Comœdia. Profecto aut illi non intelligunt, quo indutam eſſe habitu oporteat Comœdiam, aut alia quæque Poetarum tam veterum quam recentiorum Carmina, quin ipſa FRACASTORII *Syphilis*, *Alcon*, & quicquid ſcripſit carminum, æque erunt Comædiæ, ac *Joſephus* ille. Quid demum non erit Comœdia; ſi continuam, ab homine non niſi uno factam, rerum geſtarum

ſtarum narrationem dicere Comœdiam velimus? Dulcis illa, quam in *Joſepho* animadvertimus, rerum jucundiorum varietas ac viciſſitudo non minus decet ſcribendi genus quodque aliud, quam illud, quod hiſtrionum eſt. De *Joſepho* FRACASTORII memoraſſe pauca hæc, ſufficiat. Reliqua enim, quæ dici poſſunt, ſingula jam dicta ante ſunt §. *V. not. (i)*.

(n) Molis, ſi cum *Syphili* & *Joſepho* conferas, admodum exiguæ, ſed exquiſiti leporis carmen eſt *Alcon* FRACASTORII, ſive *de Cura canum venaticorum*, quod poſt mortem demum Autoris editum videtur, cum ne Venetæ quidem, quæ prodiit anno 1584, *Opp. Frac.* editioni adjectum ſit. Neque ſcio ſatis, an unquam cum *Operibus Fracaſtorii*, quoquo loco editis, junctim prodierit. Paſſim tamen in Carminibus Poetæ noſtri, quæ ſigillatim diverſis in locis a diverſis editoribus vulgata ſunt, locus ei datus. De argumento carminis, virtute Poetica, Virgiliana majeſtate, eleganti rerum delectu, admirabili in componendo arte, communicavi nonnulla cum Lectoribus §. *V. not. (k)*, quibus ipſis hoc loco, nihil habeo, quod addam.

(o) Carmina FRACASTORIUS permulta ſcripſit, ſed quorum pauciſſima pervenere ad poſteros. De cujus rei cauſa certiores fecimus Lectores ſupra §. *V. not. (e)*. Multa periere, quæ ob ſuavitatem ſuam & præſtantiam meliore fato digna videbantur, quæque plauſu incredibili ætate illa excepta dicit ADR. BAILLETUS in *Jug. des Sav. T. IV. P. I. p. 214*. Quicquid vero poſt mortem FRACASTORII ab interitu vindicatum eſt amicorum opera, ad calcem *Operum Frac.* exigui libelli ſpatium occupat. Pleraque hic heroico ſcripta carminis genere, elegiaco non niſi unum. Epigrammata pauciſſima. Habendæ ſunt illi gratiæ, quisquis hæc nobis ex naufragio ſervavit. Ex hoc velut ungue leonem diſcimus, &, quantus fuerit Poeta FRACASTORIUS, haud obſcure intelligimus. Nihil eorum, quæ ad gratiam decusque carminis pertineant, & laudem aliquam conciliare Poetæ poſſint, quisquam hic jure ſuo

deſi-

deſideret. Id quod copioſe a nobis diligenterque commonſtratum, & luculentiſſimis confirmatum exemplis ſub finem §. *V. not.* (*l*).

(p) Eſſe in manibus eruditorum familiares quasdam FRACASTORII Epiſtolas, ſermone ſcriptas patrio, & cum aliis illuſtrium ætate illa virorum editas, in quibus expreſſa vitæ, morum, ac ſtudiorum FRACASTORII quædam imago ſit, exploratum habeo teſtimonio ANDR. CHIOCCI in *Colleg. Veron. Med. & Philoſ. Sect. I. Cap. XI.* Quas mihi ſi cognoſcere propius licuiſſet curatiusque perveſtigare, quis non videt, plenius longe ornatiusque hoc, quicquid eſt opellæ, fuiſſe proditurum. Sed fruſtra mihi, usquequaque illarum quærenti veſtigium, omnem inſumtam fuiſſe operam, valde doleo. Neque hujus libri, præter CHIOCCUM, ſcriptorum ullus verbo meminit. Parum abeſt, quin in eam veniam opinionem, non in fronte libri adſcriptum nomen FRACASTORII, ſed aliis aliorum Epiſtolis paucas HIERONYMI admixtas, tanquam aliunde accitas, & in peregrinum ſolum invectas. Quod ſi ita ſit, nemo facile a me expoſcat, ut, quæcunque ſuperiore ævo quaqua terræ parte prodiere, epiſtolarum volumina perquiram. Opus foret laborioſum nimis, & intra anni ſpatium vix abſolvendum.

(q) Catalogo ſcriptorum FRACASTORII, quæ emiſſa in vulgus ſunt, ANT. TEISSIERIUS in *Elog. des hom. Sav. T. I. p. 178* annectit libellum, vernaculo ſermone compoſitum, atque hunc in modum inſcriptum: *Riſpoſta al Diſcorſo di Ramnuſio ſopra il creſcimento del Nilo.* Nihil præterea de argumento libri, & genere ſcribendi addit. Dubitavi diu, an uni ea in re fides habenda ſit TEISSIERIO, librum proferenti, de quo nihil commemoratum eſſet ſcriptoribus reliquis. Non magis enim, quæ de Nili incrementis ſcripſit RHAMNUSIUS, quam quæ huic reſpondit FRACASTORIUS, innotuerunt vulgo. Accidit deinde, ut ex *Diarii erud.* quod *Venetiis* prodiit, *T. IX. p. 118,* & P. NICERONII *Memoires pour ſervir a*

l' hiſt.

l' hiſt. des hom. illuſt. T. XII p. 318 illud cognoſcerem, ſcriptum a LUDOVICO NOGAROLA, Veronenſi, viro græcarum literarum peritiſſimo, editumque Venetiis anno 1552 *de Nili incremento* Dialogum, qui poſtea, anno nempe 1626, Milani cura FRIDERICI NOGAROLÆ iterum prelo ſubjectus, &, rubro paululum mutato, inſcriptus ſit: *Timotheus, ſive de Nilo.* Quo in Dialogo cum TIMOTHEO JUSTO, qui Dialogo nomen dedit, LUDOVICO NOGAROLÆ, & ADAMO FUMANO, viris literatiſſimis, additus ſit, ut iidem teſtantur ſcriptores, ſermonum comes HIERONYMUS FRACASTORIUS; forte hinc natus eſt error TEISSIERII, falſo perſuaſum ſibi habentis, eundem FRACASTORIUM, ad quem pertinet pars aliqua ſermonum in Dialogo, Dialogi autorem dicendum. Rem ita ſe habere, negas? Age, doce nos meliora, & librum FRACASTORII ante oculos noſtros pone, ut, quæ latuere nos antehac, ſcire jam, commonſtrante te ac edocente, liceat.

§. X.

Scripta hæc Fracaſtorii maximo ſemper eruditorum plauſu excepta, ex eo haud obſcure colligas, quod variis in locis vario tempore recuſa, & in univerſum fere terrarum orbem transmiſſa, ad omnem propagata ſunt poſteritatem. Itaque facturus aliquid videor hac opella dignum, ſi, contexto Editionum, ut vocant, integro Catalogo, aliorum de Scriptis Fracaſtorii præclara merita breviter ſtrictimque commemoravero. Qua in re ut ordinis obſervantem me geram, ſingula ſigillatim exequar: (a)

I. OPERA FRACASTORII.

HIERONYMI FRACASTORII *Opera omnia Philoſophica & Medica. Venetiis. 1555. apud Juntas. in 4.* (b)

H. FRAC. *Opera omnia. Venetiis. 1574. apud Juntas in 4.*

H. FRAC. *Opera omnia, Tomis III diſtincta. Venetiis. 1575. in 4.* (c)

H. FRAC. *Opera omnia, Tomis III diſtincta. Lugduni. 1581.*

H. FRAC. *Opera omnia. Venetiis. 1584. apud Juntas. in 4. Ex editione tertia.* (d)

H. FRAC. *Opera omnia, Tomis II diſtincta. Lugd. 1591. apud Franc. Fabrum ſ. Febræum. in 8.* (e)

H. FRAC. *Opera omnia, II Tomis diſtincta. Monspeſſuli. 1622. in 8.*

H. FRAC. *Operum omnium Tomi II. Genevæ. 1627. apud Sam. Criſpinum. in 8.*

H. FRAC. *Opera omnia. Genevæ. 1628. in 8.*

H. FRAC. *Operum omnium Tomi II. Genevæ. 1637. in 8. apud Jacobum Stoer.*

H. FRAC. *Opera omnia, Philoſ. & Medica in partem I. & poſter diviſa. Genevæ. 1671. apud Sam. Chouet. in 8.*

II. HOMOCENTRICA & DE CAUSIS CRITICORUM DIERUM.

HIER. FRACASTORII *Homocentrica, & de cauſis criticorum dierum, per ea, quæ in nobis ſunt. Venetiis. 1538. apud Hieron. Scotum. in 4.* (f)

III. DE SYMPATHIA ET ANTIPATHIA.

HIER. FRACASTORII *de Sympathia & Antipathia Lib. I, de Contagione & contagioſis morbis, eorumque curatione Libri III. Venetiis. 1546. apud Hæredes Lucæ Antonii Juntæ. in 4.*

HIER.

HIER. FRACASTORII *de Symp. Lib. I, & Antip. & de Morb. Contag. Lib. III. Venetiis. 1546. apud Hier. Scotum. in 8.*

HIER. FRACASTORII *de Sympathia & Antip. Lib. I, & de Contag. Libb. III. Lugduni. 1550. apud Guil. Gazejum. in 16.*

Habetur idem Liber in *Theatro Sympathetico aucto. Norimbergæ. 1662. apud. Jo. Andr. Endterum. in 4.*

IV. NAUGERIUS, ſeu DE POETICA DIALOGUS.

Adjectus eſt *Andreæ Naugerii, Patricii Veneti, Oratoris & Poetæ clariſſimi, Operibus omnibus, quæ quidem magna adhibita diligentia colligi potuerunt. Curantibus Joanne Antonio, J. U. D. & Cajetano, Vulpiis, Bergomenſibus fratribus. Patavii. 1718. in 4.*

V. CARMINA.

HIER. FRACASTORII *Carmina omnia. Genevæ. 1637.*

H. FRAC. *Poemata omnia; acceſſerunt reliquiæ Carminum* JO. COTTÆ, JAC. BONFADII, ADAMI FUMANI, *&* NIC. ARCHII. *Patavii. 1718. in 8.* (g)

Leguntur itidem *Carmina* FRACASTORII in *Carminibus Illuſt. Poet. Ital. T. V. a p. 1 ad p. 114.* (h)

Adjecta quoque ſunt *Deliciis Poet. Ital. T. I. p. 1045.*

VI. SYPHILIS, ſeu DE MORBO GALLICO CARMEN.

HIERON. FRACASTORII *Syphilis, ſeu Morbus Gallicus. Veronæ. 1530. menſe Auguſto. in 4.*

H. FRAC. *Syphilis. Apud Ludovicum Cyaneum, e regione Collegii Cameracenſis. Pariſ. 1531. in 8.*

H. FRAC. *Syphilidis, ſ. Morbi Gallici Libri tres. Baſil. 1536. apud Bebelium. in 8. chartis 3 & dimid.*

HIERON. FRACASTORII *Syphilis*, *ſ. de Morbo Gallico. Pariſiis.* 1539. *apud Foucherium. in 16.*

H. FRAC. *Syphilis*, *ſ. Morbus Gallicus*, *ext. cum* ALFONSI FERRI *de Ligni ſancti Medicina*, *& vini exhibitione*, *Libb. IV. Lugd.* 1547. *apud Jo. Frellonium. in 12.*

H. FRAC. *Carmina de Morbo Gallico*, *& Ejusd. Joſeph. Accedit Rutilii Claudii Itinerarium. Antverp.* 1562. *apud Martinum Nutium. in 8.*

H. FRAC. *de Morbo Gallico Libri III.* 1611. *in 8.* (i)

H. FRAC. *Syphilis. in Anglia.* 1722. *in 4.* (k)

VII. JOSEPHUS.

HIER. FRACASTORII *Joſephus*, *cum* FLAMINII, STROZÆ, *&* ZANCHII *aliquot Hymnis. Venetiis. apud Juntas.* 1584. *in 8.*

Editus quoque eſt cum *Hymnis Eccleſiaſticis ab Andr. Ellingero emendatis. Lib. III. Francof.* 1578. *in 8.*

VIII. ALCON, ſeu DE CURA CANUM VENATICORUM.

HIER. FRACASTORII *Alcon*, *ſeu de Cura Canum Venaticorum. Lutet.* 1612.

H. FRAC. *Alcon. Genevæ.* 1637. *in 8.*

GRATII FALISCI & M. A. OLYMPII NEMESIANI *Cynegeticon*, *cum Not.* TH. JOHNSONI: *accedunt* HIER. FRACASTORII *Alcon*, *&* JO. CAJUS *de Canibus. Londini.* 1699. *in 8.*

Idem *Carmen* adjectum eſt CASP. DORNAVII *Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ Joco-ſeriæ. T. I. a p.* 533 *ad p.* 534.

(a) Concinnavimus hunc, Lector, *Indicem*, qua potuimus, induſtria, operamque dedimus, ut eadem in pagina ſiſterentur tibi ſcriptorum FRACASTORII Editiones quæcunque. Dubito, an conatibus noſtris ita reſponderit eventus, ut illarum nulla effugerit diligentiam noſtram. Quis enim tantum habeat naſi, ut, quæ locis diſperſa ſexcentis

tis ſunt, ea odorari omnia & explorare e longinquo poſſit? Majoris certe, quicquid a nobis præſtitum, laboris opus fuit, quam credat aliquis, in hoc negotio verſatus nunquam. Vix inire jam numerum librorum auſim, qui pervolutati mihi non ſemel aut bis, ſed decies, tandem nihil dederunt, quod in uſum convertere eruditorum potuerim. Nihil certe, unde vel aliquis ſperari mihi fructus poſſet, modo illius haberem copiam, non perquiſitum mihi. Neque tamen in immenſam molem excrevere, quæcunque haurire mihi undequaque licuit. Cujus rei ſi quis in nos ipſos culpam conjiciat; profecto nimis ille iniquus judex ſit. Id autem, velim, tibi perſuadeas, nihil hic a nobis productum, quod non acceptum referatur ſcriptoribus diligentiſſimis, & cujus non facta ſit mentio in Bibliothecarum Catalogis omni fide digniſſimis.

(b) Antiquiorem hac ipſa *Operum Fracaſtorii* Editionem haud novi. Neque dubium eſt, omnium hanc eſſe primam. Teſtatur enim JAC. GADDIUS in *Allocut. & Elog. p. 68*, collecta primum in unum faſciculum ſcripta FRACASTORII a JO. BAPTISTA RHAMNUSIO, qui vixit Venetiis, & amico FRACASTORIO aliquot annos fuit ſuperſtes. Hujus igitur cura adornatam hanc *Operum Frac.* Collectionem, neceſſe eſt; niſi forte in locum JO. BAPTISTÆ ſubſtituendum putes PAULUM RHAMNUSIUM. Id quod dicendum omnino, ſi, qui anno 1584 recudi *Juntarum* prelo *Opera Frac.* curavit, idem, ut anno 1555 eorundem ſumtibus *Juntarum* ederentur, autor fuit.

(c) Non ſatis certo ſcio, an diverſa hæc ſit a priori, quæ anno 1574. prodiit. Certe non *Juntarum* literis excuſa utraque. Sic enim quarta earum, quæ *Juntarum* prelo exiere, illa eſſet, quæ anno 1584 data foras; quæ ipſa illarum ſaltem eſt tertia, ut in rubro ejus inſcriptum habetur. Neutri tamen illarum hic locum negandum putavi, quod injectam utriusque mentionem invenirem penes ſcriptores probatiſſimos.

(d) Hac ipſe utor Editione, nitidiſſima ſane, & nullo deſtituta ornatu, qui accedere poteſt libris ejusmodi. Mirum, in fronte libri annum legi 1584, ad calcem vero Operis annum non niſi 1574. Typographi hoc vitium putandum, negligentioris in fine libri, quam in principio. Prodiit hic liber cura PAULI RHAMNUSII, Veneti; quod etſi non ex rubro diſcas, facile tamen cognoſcitur ex Epigrammate LUDOVICI

NOGAROLÆ *Comitis*, *ad Paulum Rhamnuſium*, *Venetum*, haud longe ab initio libri obvium:

Fraſtori monumenta hoc tu dum, Paule, libello
Colligis, e cæcis eripiens tenebris,
Scilicet ut vates, Medicaque excelluit arte,
Percurritque domos ætherias animo,
Ingentes Verona refert tibi nunc mea grates
Cum Baldo, Benacoque ſuo, atque Atheſi.
Qui tanto aſſurgent plauſu, quantum ipſa labore
Fama ſui civis ſe efferet aucta tuo.

Cujus verba, curatius conſiderata, plane confirmare videntur, quæ dicta a nobis ſunt *ſub not.* (*b*). *Operibus* RHAMNUSIUS præmiſit *Vitam Fracaſtorii*, ab Autore ſcriptam incerto quidem, at perquam erudito, & illarum rerum peritiſſimo. Uſi nos illa, ut facile patet legentibus, paſſim ſumus in rem noſtram. Subjecta huic ſunt, *Decretum magnificæ Communitatis Veronæ pro erigenda Fracaſtorio Statua Marmorea, Epigramma Nogarolæ, & Index rerum ac verborum memorabilium, quæ in Opere illo continentur*, copioſe ac diligenter concinnatus. Tum ſerie continua exhibentur ſcripta FRACASTORII, hoc quidem ordine collocata: *Homocentricorum, ſive de Stellis, liber unus. De Cauſis criticorum dierum libellus. De Sympathia & Antipathia rerum, liber unus. De Contagionibus, & contagioſis morbis, & eorum curatione, libri tres. Naugerius, ſive de Poetica, Dialogus. Turrius, ſive de Intellectione, Dialogus. Fracaſtorius, ſive de Anima, Dialogus. De vini temperatura ſententia. Syphilidis, ſive de Morbo Gallico, libri tres. Joſephi libri duo. Carminum liber unus.* Exulat hac ſcriptorum *Collectione Alcon*, non niſi poſteriori demum ætate ex Bibliothecarum, ut puto, armariis in lucem protractus.

(e) *Franc. Febræum* dicit Typographum GEORG. DRAUDIUS in *Biblioth. Claſſica T. I. p. 687*; *Franc. Fabrum* alii.

(f) Iſta libri Fracaſtoriani Editio ut emitteretur in vulgus, cura ſumtibusque factum PETRI BEMBI, rebus FRACASTORII addictiſſimi, nos docent *Autores Diar. Eſſais de Liter. an. 1702. menſ. Nov. p. 288.*

(g) Curarunt hanc Editionem fratres VULPII, Italorum par nobile, & multis in literas meritis illuſtriſſimum. Nullis pepercere ſumtibus,

bus, nullis laboribus, ut habitu pulcherrimo prodirent *Carmina Fracaſtorii.* Elegans literarum forma, exquiſitus chartarum nitor, Opus omne cultum ita & ornatum, ut ſolent VULPIORUM omnia. Nec parum decoris addit Operi præmiſſa *Carminibus Vita Fracaſtorii*, illa incerti Autoris, quam memoravi *ſub not. (d)*, & ſelecta ſcriptorum de poeſi FRACASTORII teſtimonia. Acceſſit quoque huic *Collectioni Alcon*, quem fruſtra quæras multis in locis.

(h) Legitur & hic *de cura canum venaticorum* Carmen FRACASTORII.

(i) Memorat hanc *Syphilidis* Editionem STEPHANUS de MONNOYE in *Adr. Bailleti Jug. des Sav. T. IV. P. I. p. 221*; ſed loci, ubi adornata, nullam, neſcio qua de cauſa, facit mentionem.

(k) In Anglia prodiiſſe dicimus *Syphilin*, nimis generatim forte; ſed ita *Autores Journ. des Sav. an. 1722. menſ. Jul. p. 117* præivere nobis. Meliora proferremus, ſi librum ipſum videre propius contigiſſet.

(l) Carmen hoc in Italia vulgatum primum, ſuspicatur CONR. GESNERUS in *Biblioth. p. 347. Alcon*, inquit, *carmen de cura canum venat. excuſum eſt in Italia, ni fallor.* Aſſentior conjecturæ. Doleo vero, nulli ſcriptorum ejus Editionis factum indicium, nec ullum ejus in Catalogis Bibliothecarum, quantumvis diligenter inſpectis mihi, apparere veſtigium.

CASP. CUNRADUS
in Proſopographiæ Melicæ Millenario I.
p. 58:

Carmine Virgilium ſi vis, medicamine Coum,
Atlantem radio, volve FRACASTORIUM.

ADDITAMENTUM.

Dixi p. 142, nihil exſtare ſcriptorum, unde de doctrina JO. BAPT. RHAMNUSII exiſtimari poſſit. Fateor errorem meum, meliora nunc edoctus. Scripſit hic RHAMNUSIUS Orationem in funere Franciſci Faſeoli, magni Venetiarum Cancellarii, quæ adjecta legitur *Orationibus clarorum hominum, vel honoris officiique cauſa ad Principes, vel in funere de virtutibus eorum habitis, Venetiis* primum, poſt *Coloniæ A. 1560*, tandem *Pariſiis A. 1577* editis *a p. 284 ad p. 289.* Ex qua illud facile cognoſcimus, ingenium RHAMNUSIO fuiſſe ſummum, eruditionem politam & excultam, atque Latini ſermonis ſingularem copiam & ubertatem.